





2

F. 2. num. 5.  
1774, 27.

DE  
BENEFICIIS IVRE CVRIAE  
CONCESSIS EORVMQVE  
A FEVDIS DISCRIMINE

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
QVAM  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII  
P R O  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
I M P E T R A N D I S

P. 322

A. D. III. FEBRVAR. A. C. N. CIOIOCCCLXXIIII

DEFENDET  
IOANNES ADAMVS THEOPHILVS  
K I N D I V S  
ART. MAG. ET ADVOC. IMMATR.

LIPSI AE  
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A

DE  
BENEFICIIS IVRE CYRIACAE  
CONCESSIS FORVMQVE  
A FRAVDIS DISCRIMINE

~~DISSERTATIO~~  
DISSERTATIO IN AUCTORIALI

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGI  
T. O.

ZVMMIS IN IVRE HONORIBVS

INSTITVTORIS

A. D. M. DCCCLXXXV. A. G. N. C. I. S. S. I. D. E. I. M.

DEPONDIT

IOHANNES ADAMVS THEOPHILVS

R. I. N. D. I. V. S.

ART. MAG. ET DOCT. IMMATR.

LIPSIÆ

EX OFFICINA J. A. G. E. R. M. I. A.



SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO  
DOMINO  
FRIDERICO AVGVSTO  
DVCI SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE  
MONTIVM ANGRIAE ET WESTPHALIAE  
S. IMPERII ROMANI ARCHIMARESCHALLO  
ET PRINCIPI ELECTORI  
LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE  
ET VTRIVSQVE LVSATIAE  
BVRGGRAVIO MAGDEBVRGICO COMITI PRINCIPALI  
HENNEBERGICO COMITI MARCAE RAVENSBERGAE  
BARBIAE ET HANOVIAE DYNASTAE  
RAVENSTEINII ETC.



SERENISSIMO PRINCIPIS  
AD DOMINUM  
DOMINO  
FRIDERICO AUGUSTO  
DUCI SAXONIAE IVLIAE GLIVIAE  
MONTI ANGLIAE ET WESTPHALIAE  
S. IMPERII ROMANI ARCHICAMERARII  
ET PRINCIPIS ELECTORI  
LANDGRAVI THURINGiae MARCHIONI MISENIAE  
ET VISSOVIAE SASSONIAE  
BURGRAVI MARCHIONIS COMITI PRINCIPALI  
HENNERGICO COMITI MARCAE HAVSBERGAE  
BARRONE ET HANNOVIAE DYNASTAE  
HAVENTRINI



SERENISSIME ELECTOR  
DOMINE INDVLGENTISSIME

**M**aximi gaudii nos ciues TVOS  
materia circumstat, qui vi-  
deamus, in TVA nos esse fide, sic  
amantis felicitatem nostram, vt sum-  
mum gloriae principalis decus hoc sta-  
3 tuas,

*tuas, illam auxisse. Praestatur a TE  
populo pax: legum per TE crescit  
sapientia: morum sanctitas exemplo  
TVO colitur: ingenii et industriae  
quisque meritum fructum, et ubi, na-  
tura fidem fallente, ob agrorum labo-  
ravimus infocunditatem, annonam  
TIBI debemus. Harum rerum sensus  
ita meum animum, ELECTOR SE-  
RENISSIME, penetravit, ut nec  
laetitia mea, ob tantam patriae fortu-  
nam, verior; nec TVI, eam imper-  
tientis, veneratio magis pia et devota  
esse queat. Patiere igitur pro TVA  
cle-*



clementia, ut affectui, quo pectus con-  
caluit, obsecutus, libellum hunc, tan-  
quam vadem ac praedem voluntatis in  
omnia TIBI obligatae, NUMINI  
TVO demississime offeram. Nam in  
iis virtutibus, quas naturae fauor ani-  
mo TVO infudit, studium TVVM  
extulit, et DIVI PATRIS imitan-  
di ac referendi amor firmavit, etiam  
ista fulget, quod omnis generis littera-  
rum atque artium aestimator, eas in-  
ter nos coli, ad reipublicae florem  
iudicas pertinere. Contingat, quae  
omnium voti summa est, imperio TVO  
et

*et longissimi temporis diuturnitas, et  
rerum laetissimarum prosperitas, ma-  
neatque OPTIMORVM PRIN-  
CIPVM laus DOMVS TVAE  
propria et perpetua in posteritatis con-  
gratulationem!*

CELSITVDINI TVAE

*devotissimus*

IOANNES ADAMVS THEOPHILVS

K I N D I V S



Cum in omnibus omnino Iurisprudentiae partibus perquam utile sit et fructuosum, ad originem institutorum ascendere, et inde omnis aevi memoriam repetere: tum vero vix dici potest, quantam haec res in Iurisprudentia feudali utilitatem habeat. Quare non in vana et inutili re studium suum posuisse censendi sunt ii, qui hoc sedulo egerunt, ut historiam Feudorum a prima origine sua deducerent: quod quidem homines doctos in sententias valde diuersas distraxit. Alii enim, qui fontem Feudorum extra Germaniae fines inuestigandum esse opinantur, modo in sacris litteris vestigia deprehendisse sibi videntur, modo ad Persas, Graecos, Hunnos, Gothos, Turcas et Iapanenses decurrunt, modo primam Iurium Feudalium descriptionem ad

A

aucto-

auctorem Romulum referunt, modo in beneficiis Romanorum primordia Feudorum agnoscunt. Alii tantum Germaniae terminis sese circumscribentes, vt de aliorum sententiis taceam, in quibus omnibus recensendis praeter *Georg. Ad. Struuium*,<sup>a)</sup> *Christ. Thomafium*,<sup>b)</sup> *Iac. Car. Spenerum*<sup>c)</sup> longus est *Ge. Chr. Gebauerus*,<sup>d)</sup> modo in Tacito, cuius auctoritate cum in aliis, tunc et in hac re abufos esse viros eruditos non est mirum, vestigia Feudorum apparere, modo vnam originis Germanicae gentem Feudorum inventricem esse contendunt. Alii contra, in his sententiarum diuortis, de vera Feudorum origine inquirenda adeo desperarunt, vt etiam doctam ignorantiam profiteri satius esse duxerint, quam in re aliquid pro certo pronunciare, cuius origo illis temporibus abscondita lateat, quae mythica Germanorum haud inepte dixeris. Cuius tantae discrepantiae et varietatis causam indaganti mihi praeter silentium, quo a scriptoribus instituta Feudalia premi videmus, praecipue occurrit haec, quod multi, qui in Feudorum originem inquirere studuerunt, indolem et naturam eorum, omninoque Ius Feudale Vniuersale neglexerunt. Quanquam autem a consilio nostro abhorret, nec lubet post *Ge. Sam. Treveri*,<sup>e)</sup> *Regn. Engelhardti*,<sup>f)</sup> *Lud. Frid. Langemakii*,<sup>g)</sup> *Io. Christoph. Knauthii*,<sup>h)</sup> *Ioach. Georg. Dariesii*,<sup>i)</sup> et *Dan. Nettelbladii*,

a) in *Synt. Iur. Feud. cap. I.*

b) in *Orig. Feud. in eiusd. Select. feud. p. 208 seqq.*

c) in *Primis. Observ. historico-feud. Obs. 1.*

d) in *Prolus. Acad. de Feudor. Orig. (Lips. 1727.) idemque in diss. de Orig. Feud., qua vocem, qua rem, non externis, sed Germanicis (Lips. 1732) insert. lenich thes. Iur. feud. T. I. p. 473. seqq.*

e) in *Iur. feud. natur. paedia insert. Parergis Goetting. T. I. l. 3. p. 78.*

f) in *Specim. Iur. feud. natur. (Lips. 1742.)*

g) *Allgemeines Lehnrecht aus philosophischen Gründen erwiesen (Potsd. 1747.)*

h) *Natürliches Lehnrecht (Stuttg. 1750.)*

i) *Element. Iur. Feud. Vniu. in Ej. Instit. Iurisp. vniu. p. 563. seqq.*

~~11~~ 3

*bladi*<sup>k)</sup> scripta, in hac re copiose versari, tamen non video, quare ius tollamus, quod ex ipsa Feudi notione fluit, et cum eo necessario nexu copulatum cohaeret. Hoc iure Feudali in vniuersum negato et remoto, simul ius publicum vniuersale labefactatum corruere existimem. Concedimus sane, vt ciuitatum et rerumpublicarum constitutiones statusque vel a commoditate, vel necessitate humana inductos, qui *hypothetici* vulgo audiunt, ita etiam Feuda ad id genus institutorum referenda esse, quae plane ab arbitrio hominum pendeant. Ex quo autem haec res arbitraria ad certum quendam modum redacta ad formam quandam et disciplinam defluxit, Ius quoddam Feudale Naturale existeret, necesse fuit, ex constituta Feudorum disciplina deriuatum, seu, vt eleganter dixit *Montesquius*,<sup>l)</sup> *les droits furent d'abord arbitraires: mais quand la pratique d'accorder ces permissions devint générale, on les fixa dans chaque contrée.* Quo quisque igitur in hoc iure optime et accuratissime versatus est, ita etiam felicissimam operam ponet in indagandis Feudorum velut incunabilis, facillimeque sibi ab erroribus cauere poterit, in quos saepe vel doctissimos Iuris Feudalis interpretes delapsos esse animaduertimus, vt haud raro similitudine rerum cum feudo aliqua veluti cognatione coniunctarum delusi quaedam instituta Feudis quidem vicina, sed natura sua ab iis diuersa, quae diligenter explicarunt *Io. Pet. de Ludwig*<sup>m)</sup> et *Fr. Carl Buri*,<sup>n)</sup> cum Feudis ipsis confunderent. Quod etsi exemplorum quasi mole firmari posset, tamen instituti nostri memores vno tantum eoque maxime illustri, ex iis decerpto, id, quod proposuimus, efficiamus. Selegimus enim scribendi materiam de

A 2

Be-

k) *System. Iurisp. nat.* 1. 11.

l) in oper. T. IV. p. 77. ed. Amst. et Lips. 1764.

m) in *Iur. Client. Sect. II.*

n) In seiner Erläuter. des in Deutschland üblichen Lehnrechts p. 687 seqq.

*Beneficiis iure Curiae concessis*, quae, vtut Feudis admodum similia, tamen ab ipsis Feudis probe secernenda, multi sunt, qui male inter se confundunt. Vt autem in hac re recte versemur, ante omnia in indolem Beneficiorum Germanorum et imprimis Francorum breuiter inquiramus, non, quo post *Lud. Ant. Muratorium* <sup>o</sup>) et *Georg. Lud. Boehmerum*, <sup>p</sup>) illustre Academiae Gottingensis ornamentum, meliora a nobis allatum iri confidamus, sed, quia illius tractationem quippe cum instituti nostri ratione maximopere coniunctam non praeteriisse iuuabit.

§. I.

Germanorum principes antiquissimis, quoad mens respicere potest, temporibus ambitiosa hominum ex flore iuuentutis multitudine domi forisque circumdabantur, vt ipsis essent in pace decus, in bello praesidium. Hi sunt, qui apud *Corn. Tacitum* <sup>q</sup>) Comitum, apud *Iul. Caesarem* <sup>r</sup>) Clientum, Ambactorum, Deutorum et Solduriorum nomine venire solent, quae vinculo fidelitatis quoduis officii genus principibus praestandi obstricti erant, de quibus *Ge. Chr. Gebauerus* <sup>s</sup>) eleganter egit. Cui instituto est gentium Germanicarum migrationes, vt moribus maiorum in plerisque aliam dederunt faciem, ita etiam Comitatus Principum Germanicorum attulisse finem haud male coniiicit *Gebauerus*: <sup>t</sup>) tamen huius instituti reliquiae et postea, cum transformata subinde reipublicae fa-

o) *Antiqu. Ital. T. I. diff. II. p. 545 inserta Ienich. Thes. Iur. Feud. T. III. p. 230. De Allodiis. Vassis, Vofallis, Beneficiis, Feudis et Castellanis.*

p) *In Obs. II. de Feudis ex Veterum Francorum Beneficiis enatis; in Eiusd. Obs. Iur. Feud. (Gott. 1764.) iunctim editis p. 67 seqq.*

q) *de Mor. Germ. c. 13.*

r) *de Bello Gallico l. III. c. 22. et IV. 15.*

s) *in diff. de Comitatu Principum Germ. quae extat in Eiusd. diff. ad Tac. Germ. iunctim editis Gotting. 1767. p. 93 seqq.*

t) *in l. c. p. 158 seqq.*

facies populique mores viderentur exigere aliam regiminis formulam, neque tamen omnino nouam, seruatae fuisse videntur. Francorum enim et omnino Germanorum principibus omni fere tempore admodum solemne fuit, aliis fidelitati personali erga ipsos obnoxiiis officia demandare, quae vel ad tuendam et conseruandam rempublicam, vel ornandam aulam spectabant. Carolus quidem Magnus, pristini Regum Francorum moris memor, quemadmodum in aula sua multos Officiales, veluti Archicancellarium, Apocrisiarium, Comitem Palatii, Camerarium, Seneschallum, Comitem stabuli, Buticularium etc. ad subeunda officia aulica alebat; sic quoque officia iudicialia et praefectorialia in prouinciis comitibus, marchionibus, missis regis <sup>v)</sup> demandabat. Ad arma vero gerenda est ex disciplina Germanorum omnes ingenui obstricti tenebantur, <sup>x)</sup> nec officia eorum, qui ius per prouincias dicerent, ab illa obligatione plane aliena erant: tamen haud raro ingenui, peculiaris fidelitatis vinculo adstricti, militiam sequebantur. <sup>y)</sup> Quem morem, cum reipublicae et securitatem et splendorem afferret, Imperatores deinceps secuti, in demandandis eiusmodi officiis seruarunt. Quae quidem quo splendidiora erant, quoue commodiorem occasionem nancisci sibi multi ex ingenuis videbantur, patrocinium principum et regum consequendi eorumque liberalitatem in se deriuandi, eo magis ad ministeria in aulis regum et principum inhiabant. Ne enim fidei et laboribus suum deesset praemium et merces, haud raro his, qui

A 3

fe

- v) vid. Io. Ad. Koppium in *Historia Iurisfc. Romanae, Feudalis, priuatae ac publicae* (ex edit. Io. Ge. Estoris, Murb. 1708.) p. 280 seqq.  
 x) vid. G. L. Boeberi comment. de *Iuribus ex statu Germ. militari pendentibus* (Gott. 1740 et 50) et I. H. Chr. de Selchow *Exerc. de iuribus ex statu ingeniuorum in Germ. pendentibus in Eiusd. Elect. Iur. Germ. publ. et priu. p. 190 seqq.*  
 y) vid. Kopp. in *l. c.* p. 292, 310.

se ad eiusmodi munera obligarant, quæ *Vassi*, *Vassalli*, *Ministeriales* et ob fidelitatem *Antustriones* apud scriptores mediæ ævi audiunt, a regibus Francorum et Imperatoribus Germanorum pro officiis in tanta, quæ olim erat, nummorum raritate præcipue prædia aut in bello parta, aut ad fiscum deuoluta concedebantur, <sup>z)</sup> non vt pleno iure, quemadmodum beneficia Romanorum <sup>a)</sup> in possessores transfirent, sed ita vt ius vten- di fruendi in iis haberent, dum in vita et officio essent, quemadmodum hæc ex rerum gestarum fide, et multis chartis præter *Muratorium*, <sup>b)</sup> *Boehmerum*, <sup>c)</sup> Vir Il. harum rerum peritissimus *Carl. Rud. Graefius* <sup>d)</sup> elegantissime probauit. Quare hæc bona ab Allodialibus diligentissime distingui videmus in Capitularibus regum Francorum apud *Baluzium*. <sup>e)</sup> Quæ concessiones etiam tum bona de munere regio, tum largitates regiae et res de Fisco merendæ a veteribus appellatae sunt: postea tamen et imprimis sub Carolingis et Imperatoribus deinceps secutus frequentior esse coepit appellatio Beneficiorum. Voci autem *Beneficij* hæc vis et potestas hoc loco subiecta est, vt sit  
ius

z) Hæc beneficia imprimis apud Francos admodum frequentia erant, cum iis reges Francorum imperium suum fundasse et confirmasse videantur. *Franci enim*, inquit *Bodinus*, l. II. de *Repub.* c. 2. *dominatum omnium rerum sic occuparunt, vt nemo terræ glebam, nisi eorum beneficio possideret.*

a) De his eleganter egit *Boehmerus* in *comment. præmissa* I. H. *Boehmeri Exercit. ad Pand. T. III. et in Ienichii thesaur. Iur. feud. T. I. p. 545.* ibique simul opinionem *Gundlingii*, in *Gundlingian. P. I. obs. I. part. XV. obs. II.* originem Feudorum inde repetentis, vanitatis conuicit.

b) in l. c. T. I. p. 554.

c) in l. c. p. 71.

d) in *Prolus. de fidelitate ac commendatione prima foederis formula in propriis et fiscalibus bonis.* (Lips. 1703.)

e) *T. I. p. 153. et 464.* Adde *Bouquet dans le Droit publique de France, éclairci par les monumens de l'Antiquité T. I. p. 118 seqq. et de Réal dans la Science du Gouvernement T. IV. p. 142.*



ius utendi fruendi <sup>f)</sup> pro officio concessum: quo sensu et hodie, monente *Muratorio*, <sup>g)</sup> Beneficia ecclesiastica accipiuntur. Quemadmodum autem officia a Vassis obeunda, tum in militia regunda, tum in Aula principum ornanda, tum in Prouincia administranda et in Iure dicundo versabantur: sic quoque pro diuersitate officiorum, <sup>h)</sup> Beneficiis, quae rationem officii et stipendii habebant, ideoque nomine vel *Honorum* vel *Militiarum* vel *Ministeriorum* <sup>i)</sup> etc. insigniebantur, suum cuique nomen adhaesit, ita ut Beneficia vel in Militaria, vel Palatina, vel Praefectorialia, vel Ecclesiastica vel denique Iudiciaria distribuarentur. Quibus Beneficiis quamquam ut plurimum Vassi ornabantur, (nusquam enim, auctore Appio Claudio, <sup>k)</sup> nec opera sine emolumento, nec emolumentum serme sine impensa opera est;) tamen eorum sententiam, qui Francorum et Germanorum Vassos non nisi eos fuisse existimant, qui sibi collatis iure beneficiario praediis seniori, ea concedenti, fidem et seruitium suum obligassent, seu, uti solenni formula dicebatur, seniori se commendassent, *Muratorius* <sup>l)</sup> et Parlamenti Parisiensis Aduocatus *Bolquetus* <sup>m)</sup> satis refutarunt. Sola enim ad munus, nomine Vassatici insigne, obeundum suscepta obliga-

110

f) Hunc ususfructum caue diiudices regulis Iuris Romani, cum ususfructus Iuris Germanici quippe cum iure non solum omnem ex re concessa utilitatem percipiendi, sed etiam eam in meliorem formam immutandi coniunctus illo latius pateat, eandemque fere vim habeat, quam habuit ius, Vasallo in feudo competens, quod posterior aetas accuratene an minus recte, ut iudicat Vir Ill. *Carl. Ferd. Hommelius* in *Academischen Reden über Mascovs Buch de Iure Feudorum* p. 358 seqq. hic non disquiram, appellauit dominium vile.

g) in l. c.

h) v. *Kopp.* in l. c. p. 288.

i) *Carl du Fresne* in *Gloss. T. III.* p. 1187.

k) apud *Liuium* l. V. 4.

l) apud *Lenich.* in l. c. p. 245 seqq.

m) in l. c. p. 118 seqq.

tio Vassum efficiebat, nec opus erat Beneficii concessione, vti praeter auctores iam laudatos *Chr. Vlr. Grupenius* <sup>n)</sup> et *Boehmerus* <sup>o)</sup> egregie probarunt ex multis chartis, quarum vel vnam afferre lubet ex *Monacho Sangallensi*, qui *Hic habuit*, inquit, <sup>p)</sup> *unum Vassallum non ignobilem civium suorum valde strenuum et industrium: cui tamen ille ne dicam beneficium, sed ne vllum quidem aliquando blandum sermonem impendit.* Nec repugnat notatio voculae *Vassalli*, quam a voce *Was, Gwas*, quae in lingua prisca Theodisca famulum denotabat, deducendam esse *Boxhornius* <sup>q)</sup> et *Ge. Hikefius* <sup>r)</sup> ostenderunt. Quare multos apud veteres Francos et Germanos deprehendas Vassallos sine beneficio, quod interdum, vt verbis *Muratorii* <sup>s)</sup> vtar, in ipso famulitii seu Vassallitici exordio se liberalem senior praebebat; interdum post probatam Vassi diuturnam fidem praemii loco eis e proprio suae regali patrimonio fundum aliquem largiebatur, aut ex ecclesiarum spoliis, prout iniquitas eorum temporum ferebat. Cum igitur Vassi fidei praestandae vinculo se non ob beneficium, sed ob officium bene gerendum obstringerent, horum fidelitatem non realem, sed personalem fuisse, quilibet vel nullo monitore intelligat: quae quantopere a feudali differat, postea videbimus.

## §. II.

Iam, Beneficiorum notione constituta, ne cum spectris pugnare videamur, variae quibus a feudis, quae etsi ex illis nata, tamen tanquam duo diuersa probe sunt distinguenda, differentiae sunt explicandae, idque eo magis, quo plures eo opi-

n) in *Obs. Rerum et Antiqu. Germanic. et Rom. Obs.* 18. p. 391.

o) in *Obs. cit.* §. 3.

p) de *Gestis Car. M. I. I.* 32.

q) in *Glossar. Anglo-Britannico* p. 36.

r) in *Grammatica Franco-Theodisca T. I.* p. 99.

s) apud *Leuch.* in *l. c.* p. 246.

opinionis errore captos esse videmus, quo beneficia Francorum et Germanorum a Feudis nihil differre statuerunt, adeoque in origine Feudorum definienda non potuerunt non aberrare. *Hieronymus Bignonius* <sup>t)</sup> quidem, quotiescunque in formulis Marculfi aut in Capitularibus regum Francorum nomen *Vassorum* aut *Beneficii regalis* deprehendit, ibi de Beneficiis, quae nunc Feuda appellantur, agi putat. In eadem opinione versantur *Ant. Dadin. Alteserra*, <sup>v)</sup> *Chr. Thomasius*, <sup>x)</sup> *Casp. Achat. Beckius*, <sup>y)</sup> *Io. Henr. Bocrisius*, <sup>z)</sup> *Iac. Gabr. Wolfius* <sup>a)</sup> aliique, qui in originem feudorum inquisivere, quos nunc excitare nihil attinet. Sed age! iudicio finium regundorum instituto vtrumque negotium in suos fines naturales restituamus. Iam primum alia concessionis ratio est in beneficiis, alia in Feudis. In illis praediorum ususfructus *Vassis* concedebatur, ut eorum fidei in officio suscepto vel iam praestitae, vel praestandae esset quasi praemium et remuneratio, a qua illorum posterius excluderentur, nisi noua senioris concessionem accedente, ad beneficia paterna vocarentur. <sup>b)</sup> Feuda, nulla stipendii ratione habita, tantum sub lege et conditione praestandae fidelitatis Vasalliticae conceduntur, Vasallis eorum-

t) in notis ad Marculfi form. ap. Baluzz. T. II. Capit. p. 933.

v) in Orig. feud. c. 4.

x) in Orig. feud. §. 15. in Eiusd. sel. feud. p. 257 f.

y) in diss. de patricis reipublicae ministri et Vasalli iuribus (Ien. 1715.) §. 20. 23. 25. 28. 30 seq.

z) in diss. de orig. et fontibus Iur. Feud. Germ. (Francof. 1737.)

a) in diss. de Feudorum Imp. Orig. atque indole sub primis Francorum regibus. (Hal. 1724.) rec. 1745 et inf. Thes. Ienich. T. I. p. 431. §. 15 seq.

b) Totam rem egregie descripsit de Réal in l. c. p. 142. vbi ita: Les bénéfices consistoient en Terres, dont le Prince faisoit la concession aux gens de guerre, ou à vie ou pour un tems fixé. C'etoient des espèces de Commaneries données pour servir à la guerre et qui ne passoient point du pere au fils, sans une concession particuliere du Roi. Quamquam haec beneficia non solum *Vassis* sagotis, vti existimat, sed etiam togatis concedebantur.



rumque posteris ipsa lege vocatis. Solum enim officium susceptum apud Francos deferebat personam Vasallorum. Hic autem sine Feudo ne mente quidem Vasallus, quem licet feudalem appellare, concipi potest, adeo, ut feudo vel non collato vel ademto neque Vasallus, neque dominus directus neque feudalis fidelitatis praestandae ratio adsit. Vasallus denique apud Francos non ob beneficium, sed ob susceptum definitum officium vinculo fidelitatis obstringebatur, cum contra Vasallus feudatarius, licet nullo definito officio suscepto, fidelitatem Vasalliticam non nisi ob Feudi concessionem praestet. Quare ibi fidelitas personalis, hic autem realis praestatur. Quae omnia si quis paulo curatius cogitauerit, idemque, quae a Muratorio, <sup>c)</sup> Bolqueio <sup>d)</sup> et Boehmero <sup>e)</sup> de hoc discrimine <sup>f)</sup> accurate disputata sunt, addiderit, neminem fore putem, qui non intelligat vanitatem opinionis eorum, qui Beneficia cum Feudis ipsis confuderunt.

### §. III.

Haec indoles beneficiorum Vasallis ob officia distributorum apud Francos et omnino Germanos fuit, usque dum illa

c) *apud. Ienich. in l. c. p. 252 sequ.*

d) *in l. c.*

e) *in l. c. §. 6.*

f) Haud ignobilis quidem ex superioris seculi scriptoribus Ludovicus Cantarellus Faber (dans son Traité des Fiefs et de leur Origine, Chap. III. p. 10 — 21.) multum disputauit de differentia inter Beneficia et Feuda. Ac primo quidem Beneficia non nisi a rege ad officia militaria praestanda: Feuda contra a quocunque alio ob quoduis officium non solum militiae, sed domi quoque obeundum concedi posse. Deinde in Beneficiis partem prouinciae a rege in usum, vel ad minimum in usum fructum: in Feudis autem non solum rerum domanialium, sed allodia. Ium quoque partem Iure proprietatis dari. Ibi denique totam rem translata esse ad arbitrium Regis: hic autem vtriusque partis consensu opus semper esse existimauit. Attamen pleraque quantopere ab ipsa feudorum et Beneficiorum indole et natura et eorum historia abhorreant, non solum ex iis, quae iam diximus, cognoscitur, sed etiam postea aliquanto dilucidius apparebit.

illa, successione hereditaria introducta, in Feuda, vti tum nominabantur, g) abirent, cum ab eo inde tempore non ob officii, sed beneficii concessionem Vasalli euaderent, neque amplius iure officii, sed ex ipsa concessionis lege vinculo fidelitatis, iam in realem mutatae, obstringerentur, iure vtendi fruendi in dominium vile conuerso. De tempore autem, quando insignis haec mutatio in re Beneficiaria acciderit, non conuenit inter eruditos. Etsi iam remotissimis a Conrado Salico temporibus Vassorum filios ad beneficia paterna subinde admittos fuisse, multis constat monumentis: tamen animum nunquam inducere potui, vt mihi persuaderem Beneficia, omnino lege vniuersali perpetuo valitura, ita hereditaria facta fuisse, vt ad eorum naturam pertineret: cum partim vi nouae concessionis in Vasallorum liberos transfirent, quemadmodum vti est, ita recte existimat *Muratorius*, h) partim imperatores

B 2

pacto

g) Haec Beneficia tantopere mutata etsi vetus nomen et postea nonnunquam seruarunt, vti ex multis iuris Longobardici locis *I. F. 1. §. 3. 4. II. F. 34. §. 1. II. F. 55. princ.* etc. et *Auctore Veteri de Beneficiis* patet: tamen frequentiori vocabulo appellata sunt Feuda: quod vero quando omnium primo factum sit, equidem in tot sententiarum inter eruditos diuortis non ausim definire. Etsi multis vocis Feudi origo *Sec. X.* antiquior visa fuit: tamen cum plerique in hac re vetustis chartis abutantur, vt accurate demonstrat *Io. Heumannus in Explicatione Diplomatum quorundam antiquorum, quae Feudi vocis primam mentionem facere perhibentur: in Einsd. Exercit. iur. Vniu. praecip. Germ. N. XI. p. 69 seqq. et insert. Ienich. Thes. iur. feud. T. I. p. 569. Sec. XI.* antiquiorem eam non putem, confirmatus imprimis auctoritate Viri harum rerum peritissimi *Seldeni*, qui in *Glossario Historiae Anglicanae subiecto* ante an. *M.* in nullo monumento, quod non suspectae fidei fuerit se Feudi nomen reperisse restatur. sed hanc controuersiam iis relinquamus, quibus magni interesse videtur, vtrum ista vox nudius tertius, an multum abhinc seculis vsurpata fuerit.

h) apud *Ienich. in l. c. p. 254.* In *Capitulari* enim de an. 877. ap. *Baluz. T. II. capit. p. 270.* Si comes, inquit *Carolus Caluus, obierit, filium autem parvulum habuerit — et ipse filius per nostram concessionem de illius honoribus hoveatur.* Adde *Mabillon in praef. Ann. Ord. St. Bened. S. V.*

facto cum Vasallis inito in Beneficiis successione hereditariam subinde admitterent. Plurimae autem causae poterant incidere, quae hoc suaderent et exigent. In his principem locum occupat oblatio Allocliorum in Beneficium, Ecclesiis praecipue olim salutis aeternae causa, ut eorum temporum superstitione ferebat, facta, id quod quamplurimis exemplis *Goth. Sam. Treuerus* <sup>i)</sup> demonstravit. Huic autem oblationi subinde hanc conditionem subiectam fuisse, ut Beneficia parentum, accedente auctoritate senioris, ad posteros transfirent, rerum gestarum memoria multa exempla suppeditat. In *Lege* quidem *Baiuvariorum* <sup>k)</sup> mentione huius oblationis iniecta, haec leguntur: *Et post haec nullam habeat potestatem exinde et ipse nec posterius eius, nisi defensor ecclesiae ipsius per beneficium praestare voluerit ei, sed apud Episcopum defendatur* (forte: deferatur) *res ecclesiae, quicquid a Christianis ad ecclesiam Dei datum fuerit.* Idem luculenter probat *Concilium Turonense III.* <sup>l)</sup> ubi patres, quia, inquit, paene nullus est, qui res suas ad ecclesias donet, nisi de rebus ecclesiasticis, aut tantum, quantum donavit, aut duplum, aut triplum usufructuario accipiat: et quibus ille tunc, aut quantis filiis aut propinquis a rectoribus impetraverit, post discessum eius eadem conditione, qua ille tenebat, posterius sibi vindicent: nobis visum est praedictis heredibus hanc dare optionem, ut, si voluissent traditiones parentum suorum consequi, de qua iam illi erant per legem exclusi, rectoribus ecclesiarum se commendarent, et hereditatem illam in beneficium,

*S. V. n. 133.* Atque *Vionem Comitem etiam Reghino ad an. 949.* apud *Pistoriam* in *Script. rer. Germ. T. 1. p. 77* refert permissu regis quicquid beneficium aut praefecturarum habuit, quasi hereditatem inter filios divisisse.

<sup>i)</sup> In der Untersuchung des Ursprungs und der Bedeutung des Maertens-Mannes (Helmst. 1733)

<sup>k)</sup> apud Baluz. T. I. capit. de an. 630. p. 95.

<sup>l)</sup> c. ultimo de an. 813.

cium, unde se adiuvare et sustentare possint, acciperent. <sup>m)</sup> Altera nec minoris momenti causa mihi videtur quaerenda in singulari erga Vassallos de republica et principe bene meritos, favore, quo impulsus eorum filios ad beneficia paterna admittebant, cum iam exeunte stirpe Carolingica durum visum fuerit, patris officio suo rite functi beneficia filio auferre. <sup>n)</sup> Quare si domini Vassis defunctis nullos forte per incuriam aliamque causam sufficerent, eorum filii iure quasi suo paterna beneficia retinebant. In quo quidem Vassi imprimis maiores exemplum imperatoris imitati esse videntur. Quemadmodum enim uti haud improbabili *Sirubeni* <sup>o)</sup> est coniectura, imperium plerumque in imperatoris posteros, nisi adessent, quae aliud suaderent, causae, transferebatur: sic quoque filii Vassorum a beneficiis patris haud facile a seniore excludebantur, adeo, ut partim hereditario, partim electionis iure succedere viderentur. Potentiam denique, in communi omnium rerum illis temporibus permutatione in dies magis magisque crescentem, multorum ex Vassis praecipue maioribus iuri hereditario in beneficiis introducendo multum tribuisse, quis est qui negare sustineat in tot exemplis <sup>p)</sup> filiorum, qui quod bona Domini gratia non poterant consequi, id sibi sumebant, et a successione in beneficia paterna ab imperatoribus exclusi non solum his ex iusta quasi causa indignabantur, sed recens constitutos adeo possessores inde deicere audebant. Beneficia igitur paterna cum longo rerum usu temporumque vicissitudi-

B 3

ni-

m) cf. Iust. Henn. Boehmer. in *diff. de Feudis eccl.* (Halae 1717.) *aucta select. Obs.* et *inserr. Iur. Eccl. Protest.* T. II. p. 211. seqq.

n) vid. Baluz. T. II. p. 261. et 69. Adde *Ullstriff. Comit. de Bünau in der Teutschen Kayser- und Reichsbisitorie* T. II. p. 39.

o) in *Horis subsec. part. IV.* p. 62 seqq.

p) Huius rei exemplum iam suppeditant res aevo Carolingico gestae apud *Freberum in S. R. G. T. I.* p. 56.

nibus naturam necessitatis propemodum in iure succedendi posterorum induisse viderentur, subinde ab ipsis imperatoribus lege fuit confirmata haec filiorum successio, quemadmodum rem egregie probavit *Ill. Hommelius* <sup>g)</sup> exemplo Henrici Sancti. qui vti Ecclesiasticorum opibus imperium adeptus erat, ita quoque in illos maximopere, vt multis documentis probavit *Io. Dau. Koehlerus*, <sup>h)</sup> liberalis erat. Hunc enim in beneficiis Abbatiae S. Maximini successionem hereditariam, licet noua semper collatione opus fuerit, introduxisse patet ex ipsius constitutione. <sup>i)</sup> Quae etsi ita sunt, tamen in reliquis aliis beneficiis sub eodem imperatore antiquam iuris Beneficiarii formulam seruata fuisse exemplum Bernhardi, Saxoniae ducis confirmat, quem legimus <sup>k)</sup> ideo se Meinwerci Episc. Paderbornensis hominem esse professum, vt eius fauore suscipi ab Henrico II. dignus iudicaretur, cui paternum beneficium relinqueretur.

§. IV.

Quae cum ita sint, non me poenitet esse eorum sententiae, qui successionem hereditariam, demum sub auspiciis Conradi Salici constitutione Mediolani V. Cal. Iun. an. 1037 edita, quam praeter *Muratorium* <sup>l)</sup> habet *Senkenbergius*, <sup>m)</sup> in beneficiis introductam fuisse, eaque in Feuda abiisse statuunt. At, quid haec constitutio in campis Rongalicis data Italis ad Germaniam, cuius formula vti a ratione regum Italiae maximopere differebat, ita leges ab imperatoribus Germanicis constitutae Longobardis ad Germanos non poterant pertinere.

g) in libro supra laudato p. 293.

h) in der Deutschen Reichsistorie p. 100.

i) apud Nic. Zyllesium in defensione Abbatiae S. Maximini P. III. p. 32.

k) in vita Meinwerci apud Leibnitium in script. R. Brunsvic. P. I. p. 514.

l) in Antiqu. Ital. T. I. p. 609.

m) in Corpore Iur. feud. p. 432.



re. Quid? quod rerum sub Conradi successoribus gestarum memoria suppeditat exempla, quorum illustre occurrit apud Lambertum Schaffnaburgensem <sup>y)</sup> ad an. CIDLXVII, quae Conradinae Constitutionis beneficium ad Germanos non pertinuisse demonstrare videntur. His fere armis *Io. Gottfr. Bauerus* <sup>z)</sup> contra *Ge. Lud. Boehmerum*, cum successione hereditariam filiorum in beneficiis sub eodem Conrado Salico et in Germania inualuisse statuisset, <sup>a)</sup> usus est, ita tamen, ut quemadmodum in multis aliis quaestionibus per opportunitatem primariae controuersiae inter hos Duumuiros agitatae, cuius totam historiam nobis pressè et eleganter descripsit V. C. *Dan. Nettelbladt*, <sup>b)</sup> discussis, sic quoque in hac ouationem ei decernere dubitent viri harum rerum periti. Quae enim a Conrado Salico successio hereditaria in Italia et pro Italis introducta sit, eandem sub eiusdem Imperatoris auspiciis vsu et obseruantia, licet prius nonnunquam neglecta, postea tamen magis magisque confirmata, et apud Germanos inualuisse non solum auctor est *Wippo*, <sup>c)</sup> sed etiam luculentissime patet exinde, quia nulla extat lex, qua ius hereditarium in Beneficiis Germanorum postea introductum fuisse statuere velis. <sup>d)</sup> Quamquam igitur Constitutio Conradina per mores in Germania introducta postea subinde veluti a Friderico I. <sup>e)</sup> diserte confirmata fuit; tamen, cum ab hoc inde tempore ius filiorum in be-

y) apud Pistor. edit. antiquae p. 176.

z) in dissert. de communi Saxonum manu ob neglectam renouationem amissa §. 1 seqq.

a) in Comment. de Inuest. simult. euent. c. II. §. 41.

b) in *seinen Haellischen Beytraegen zu der Iuristischen Gelehrten Historie* T. I. p. 27 — 56.

c) in *Vita Conradi Salici* apud Pistor. T. I. Scr. R. G. p. 420.

d) cf. *Boehmer* in lib. de indole et natura expectatiuae et inuestiturae feudalis et de huius renouatione C. III. §. LXI.

e) in *const. ap. Radonicum de Gestis Frid. I. l. 11. c. 7.* in *Vrslisii collectione* p. 509. seqq. et *Cod. Iur. Feud. inserta II. F. 55.*

beneficia paterna ex ipsius legis auctoritate succedendi non sit definiendum, frustra dissentire videtur *Bauerus*,<sup>f)</sup> dum non nisi post Henrici IV. tempora filiis ius hereditarium in beneficiis paternis competuisse statuit.

§. V.

Et si ex his, quae hucusque disputauimus, beneficia, successione hereditaria ibi introducta, formam feudorum induisse satis apparere putem; tamen, qui hanc mutationem vno eodemque tempore in omnibus omnino beneficiis accidisse statuatur, nae is egregie falleretur. Beneficia tum ob militiam agendam, tum aliis de causis concessa fuisse supra vidimus. In illis successionem hereditariam inualuisse adeoque in feuda abiisse, neminem dissentientem me habiturum putem, qui vel leuiter inspexerit constitutionem Conradinam. Audiamus ipsius verba: *Præcipimus etiam, ut cum aliquis miles, siue de maioribus siue de minoribus de hoc seculo migrauerit, filius eius beneficium habeat: si vero filium non habuerit, et auaticum (i. e. nepotem) ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat.* Quibus iungamus auctoritatem *Wipponis*,<sup>g)</sup> qui *militum inquit, animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini auferre sustinuit.* Verum enim vero caetera beneficia a domino in Vasallos propter officia extra militiam veluti in iudicio et imprimis in aulis principum obeunda profecta, non sunt in Feuda conuersa, sed pristinam beneficiorum indolem, ipsius legislatoris voluntate annuente seruarunt, idque eo magis, cum omnis mutatio, in aliqua re suscepta, ita semper interpretanda sit, ut res a pristina forma quam minimum recessisse videatur. Quare ut haec duo diuersa illa quidem, sed quae tum ob vetus nomen beneficiorum, quibus

f) in *diff. cit.* § 5.

g) in *loco supra laud.*

bus diu adhuc feuda insignita sunt, tum ob aliquam similitudinis speciem, ut sit, confundi possent, negotia inter se distinguerentur, nomen cuique suum cauta antiquitas indidit, ita, ut bona iure militiae feudalis concessa dicerentur feuda; beneficia autem, quae post insignem illam in re beneficiaria factam mutationem pristinam formam integram retinuerunt, Bonorum *Iure Curiae, Officii, Ministerialitatis* concessorum, nomine insignirentur, de quibus iam paulo accuratius agere animus est.

§. VI.

Iam primum de Beneficiis Iure Curiae concessis disputaturi, operae pretium nos facturos putamus, si, quae vis et potestas *Iuri Curiae* hic sit subiecta, paulo pressius explicemus, ut omnis ambiguitas ex hac disputatione circumscribatur. Quemadmodum enim ipsius Curiae, sic quoque Iuris Curiae tam multiplex, tamque varius apud scriptores medii aevi deprehenditur significatus, ut harum rerum paulo incuriosis labendi locus facile detur. Vox *Curia*, cui responderet germanicum vocabulum *Hoff*, etsi medio aevo praeter caeteros significatus, <sup>h)</sup> tum praedium cum omnibus aedificiis, agris, piscuis, tum palatium et omnino domum denotabat, nulla personarum ratione habita, adeo, ut principis aequae ac rustici et hominis proprii diceretur *Curia, Hoff*; tamen imprimis hoc nomine aula siue palatium principis et omnino domini, qui ministeriales primi siue infimi ordinis, quales sunt homines proprii, habebat, insignebatur. Qui ministeriales quum principi in ipsius aula frequentes adessent, dominoque famuli seruitia praestarent, dictione metonymica, qua continens

po-

h) Hos omnes diligenter excusserunt *Carl du Fresne in Gloss. Latin. T. II. non. ed. p. 1255 seqq. Ge. Wachter in Glossar. Teutonico p. 739. Christ. Gottl. Halkaus in Glossar. Germanico. p. 938. aliique Glossariographi.*

ponitur pro contento, *Curia* haud raro eos, qui in aula ser-  
 uiebant omnemque adeo comitatum et complexum eorum  
 significabat, qui alterius officio, ministerio et famulatio ob-  
 noxii erant, quae in veteribus chartis pro diuersitate nexus,  
 quo adstricti tum principi, tum domino seruiebant, nomi-  
 ne *Curialium*, *Ministerialium*, *Hofmannae*, *Hofscute*, *Dienstleute*,  
*Knechte*, veniunt. Quare vti *Curia* feudalis Vasallorum tum  
 Imperii R. G. *Reichshof*, de qua erudite egit *Io. Dan. ab Ol-  
 tenschlager*,<sup>i)</sup> tum in prouinciis Germanicis, vbi *Lehnstag* fre-  
 quenter appellatur, denotat conuentum Vasallorum, qui ei-  
 dem domino directo fidelitate Vasallitica obstricti sunt, au-  
 ctoritate eius coactorum; sic quoque *Curia* haud raro con-  
 uentum hominum propriorum, qui *Liti*, *Luti*, *Leodes*, *Leu-  
 ti*, *Litonis*<sup>k)</sup> appellantur (quod nomen et ministerialibus  
 olim commune<sup>l)</sup> fuit,) a domino ad iura et obligationes aut  
 suscipiendas, aut confirmandas conuocatorum (*Hofstag*)  
 significat. Pro harum autem Curiarum diuerso sensu etiam  
*Iuris Curiae*, *Hoferecht*, varius est significatus, qui vero omnis  
 in id conspirat, vt denotet ius, quod in his curiis valet.  
 Quemadmodum igitur in Iure Clientelari *Ius Curiae*<sup>m)</sup> signi-  
 ficat complexum legum, quae in *Curia Domini* directi obti-  
 nent nonnunquam nomine *Hofsprache*<sup>n)</sup> insignes; sic in iu-  
 re Litonico iura et obligationes hominum propriorum sole-  
 mnibus diebus, qui *Hofstaete* appellantur, constitutae, nomine  
 In-

i) in *Erläuterung der Gülden Bullen* p. 249.

k) cf. *Dau. Ge. Strubenii Comment. de Iure Villicorum c. l. §. 6. p. 17. et  
 Polyc. Leyser. diss. de Litonum absolutione.*

l) cf. *Alteserra in Orig. feud. pro moribus Galliae c. 1. du Fresne in l. c.  
 voce Leudes. Ruinart in notis ad Gregor. Turonensem p. 98. Eccardus  
 ad Leges Salic. et Ripuariorum p. 35, 43 et 167. Buri in l. c. p. 65.*

m) *Ge. Lud. Boehmeri diss. de decisione causarum feudalium secundum Ius  
 Curiae (Gott. 1768.) §. 8.*

n) cf. *Haltans in l. c. p. 941.*

*Iurium Curiae* <sup>n</sup>), *Hofrechte*, *Hausgenossenrechte*, *Hofsprachen* apud praefatos Scriptores veniunt. Hic autem voce *Iuris Curiae* in longe alio sensu utimur. Vti enim Curia, quemadmodum supra iam monuimus nonnunquam complexum ministerialium, Officialium, seruitiis Domino suo praestandis addictorum denotabat; ita iuri Curiae quoque haud raro hanc vim subiectam esse videmus, ut leges et consuetudines, quibus iura et obligationes Ministerialium, quatenus Vasallis feudali- bus opponuntur, definitae sunt, significaret. Hoc igitur sensu Ius Curiae, quod etiam *Ius Ministerialitatis*, *Ius officii*, *Ius officiale*, *Amtrecht* dicitur, longe differt a iure feudi, vti et ipsae obligationes et iura Vasallorum et Ministerialium inter se differunt. Quare veteres haec duo diuersa iura diligentissime semper distinxerunt, ut patet vel ex litteris reuersalibus <sup>o</sup>) a comitibus Thuringiae, Landgrafio Henrico a. ciocccxlix. datis, vbi ita: *Qui ministerialis existit, ipsi Ius Ministerialis, si vero Vasallus fuerit, Ius Vasalli sibi exhibebit utique, et etiam obseruabit.* Sed de hac re postea pluribus.

#### §. VII.

His ita constitutis ad ipsa Beneficia, *Iure Curiae*, nach *Hofrecht* data progredi cupientes, ea sic describenda putamus, ut sint bona ob officium definitum extra militiam obeundum in Stipendium data <sup>p</sup>). In his autem officiis imprimis eminent aulica seu Palatina, quae ab omnibus, qui iure aulae habenda gaudebant, constitui poterant. Ac primo quidem reges Francorum et Imperatores Germ. inde a Carolingicorum ae-

C 2

tate

n) Horum iurium Curialium exempla praeter *Io. Diet. von Steinen in der Westphälischen Geschichte P. V. in adp. imprimis Io. Chr. Stradtmanus in Collectione de Iure Curiali litonico S. Sammlung hofboerriger Rechte* (Gott. 1754.) larga manu collegit.

o) *Has vid. ap. Weckium in Beschreibung von Dresden P. II. p. 156.*

p) *Vid. Boechmerus in l. c. obseru. VI. §. 1.*

tate praeferat Vasallos sagatos multos quoque togatos ad splendorem aulae et imperii aluisse, iisque officia in aula honorifica, quorum praecipuum decus penes Marschallum, Camera-rium, Pincernam et Dapiferum stetit, delegasse, quis in rebus Germanorum adeo peregrinetur, quin sciat? Imperatorum exemplis deinde excitati Principes tum Ecclesiastici tum Seculares iisdem ministeriis aulam suam ornarunt; cuius rei exempla etsi iam sub initiis aevi Carolingici, licet raro occurrant, ut *Koppius* <sup>q)</sup> contra *Chr. Gottl. Buderum* <sup>r)</sup> bene obseruauit; tamen extincta stirpe Carolingica, paulo frequentiora facta fuisse, probauit *Pfessingerus*, <sup>s)</sup> et postea semper instituta fuisse, eo minus in dubium vocari potest, cum Principes hoc facere ipsa lege iuberentur. Ita enim in celeberrima illa *Conradi II. constitutione* <sup>t)</sup> de expeditione Romana: *Singuli vero Principes suos habeant officiosarios speciales, Marschalcum, Dapiferum, Pincernam et Kamerarium.* Sine his, ut monet *Freherus* <sup>v)</sup>, nullus iustus Principatus habebatur. Hanc sententiam egregie confirmare videtur et *Henrici III. constitutio de iustitia Bambergensium Ministerialium* <sup>w)</sup>, ubi haec: *Be-*  
*nefi-*

q) in l. c. p. 206.

r) in *Diatriba de Feudis Officialium hereditariorum, procerum et prouinciarum R. G. (lenae 1736.) c. 1. §. 3.*

s) ad *Vitruv. T. II. p. 86-88.*

t) apud *Henr. Chr. Senkenbergium in Corpore Iuris Feudalis p. 516.* Huius veteris monumenti veritas virorum rei diplomaticae peritorum concertationibus diu admodum oppugnata et agitata, nondum tamen sublata fuit. Equidem illius constitutionis inscriptionem et subscriptionem in vitio esse etsi non negem, adeo, ut non *Conrado Grasso*, uti imprimis *Welfero* et *Frebero* visum fuit, tribuenda, sed iustis quasi vindictis a *Mabilonio*, *Conringio*, *Boeklero*, *Strauchio*, *Obrechtio*, *Schiltero*, et *Schurzleischio* institutis *Conradi Salici* aetati potius restituenda videatur, tamen saluam ceteroquin huius diplomatis veritatem sustinuit *Gebauerus ad Constit. cit. de Expeditione Romana adiuncta Schilteri Institut. Iuris Feud. ab ipso (Lips. 1750.) editis.*

v) ad *Constitut. cit. apud Gebauerum in l. c. p. 261. sub b)*

w) apud *Goldastum Constitut. imperialium T. I. p. 231.*

~~—————~~  
*neficiam habentes a Domino suo non constringantur nisi ad quinque ministeria, hoc est, ut aut Dapiferi sint, aut Pincernae, aut Cubicularii, aut Marschalci, aut venatores x). Nec aetatem recentiorum carere eiusmodi exemplis, auctorem locupletissimum habemus Leopoldum Imp. qui, ut habet Riccius xx), anno 1101. Placido, Murenfis Monasterii Abbati, Principis Imperii dignitatem conferens inter alia concessit: zu mehrer Erhöhung und Ziehrung des gnaedigst-ertheilten Fürstenstandes, haben wir Placido, Abten des Gotteshayses Mury wie auch - - successoren zugelassen, das sie zu groeßern Splendeur der Fürstlichen Würde die vier Erb-Aemter, als Erb-Marschallen, Erb-Caemnerer, Erb-Schenk und Erb-Truchsessens-Amt aufrichten, führen, ut damit nicht allein sachige Rittermaessige Geschlechter belehnen, sondern auch gleich ietzo mit den Erb-Marschall-Amt jedesmahl den Aeltesten aus ihren eigenen Geschlecht, der zur Lauben Freyherrn zum Thurn und gestellten Burg, damit belehnen, und die übrigen nach seinen Willen benambsen, so oft es sich begebe, das ein oder anderes mit besagten Erb-Aemtern belehntes Geschlecht absterben thaete, solch erledigtes Erb-Amt einer andern gleichfals Rittermaessigen Familie nach Belieben conferiren und damit belehnen koennen.*

§ VIII.

Iam nobis hoc loco causa comitum in eiusmodi ministeriis aulae constituendis agenda videtur, idque eo magis, quo plures contradictores ea semper nata fuit. Ut enim nihil commemorem de antiquioribus, praeter Io. Iac. Hombergium

C 3

gium

x) Idem annuere videtur auctor Spec. Suen. l. 1. c. 63. Die Geistlichen Fürsten und weltlichen Fürsten die sind von Anfang erst gestiftet mit 4 Fürsten-Aemtern, mit einem Kamerer, mit ein Schenk, mit einem Truchsess, mit einem Marschalk etc.

xx) in zuverlässigen Entwurf von den Landsaessigen Adel in Deutschland. B. 8. p. 95.

gium<sup>y)</sup>, Ludewigius<sup>z)</sup> et Gundlingius<sup>a)</sup> (ast quanta nomina!) comitibus id ius competisse pernegarunt. Verum ut huius opinionis veluti cornua commoueamus, illa profluxit ex prius errore, quo haec munera aulica inter iura Principum praecipua referri solebant. Ac primo quidem, quum medio aeuo Comites opibus, dignitate, magnificentia<sup>b)</sup> et omnino iuribus, in quibus definiendis erudite, licet non nunquam nimis cupide versatus fuit *Guiliel. Frid. Pistorius*<sup>c)</sup>, nemini Principum cesserint, nec peculiare Comitum et Principum ordo esset, illis inter hos locus assignatus erat. Quare uti haud raro iisdem, quibus Duces et qui posteriore aetate proprie Principes dicerentur, elogiis<sup>d)</sup> insignebantur Comites; Sic quoque Principum nomine saepiuscule in antiquis chartis<sup>e)</sup> venire solent, quemadmodum in vniuersum ex doctissima *Pistorii*<sup>f)</sup> obseruatione nomen Principis medio aeuo omnibus Germaniae Proceribus veluti Ducibus, Marchionibus, Landgrauis etc. et sic quoque Comitibus commune fuit. Quae quidem consuetudo non tantum vsque ad Conradi III. aetatem

mana-

y) *von den Hessischen Erb-Beamten* p. 8.

z) *De Iur. Feud.* p. 832 seq. et in praefatione *T. X. Reliqu. MSt.* p. 27.

a) *ad Schilteri Institut. Iuris feud.* p. 350.

b) Hanc rem egregie illustrauit praceptor olim noster deuenerandus *Ill. Carl. Henr. Geislerus* in *diff. alter. de coniunctione Comitum Holsariae cum ducatu Saxoniae* (*Lipsiae 1770.*) p. 43. sequ.

c) in *hiflor. und iurist. Anmerkungen über den Ursprung, Historie, Vorrechte etc. der Reichgrafen.*

d) Sic illustrium nomen etiam Principibus, qui proprie ita dicebantur, proprium fuisse videtur; tamen Comites, potestate ipsorum nondum imminuta, ab hoc titulo non plane abstinuisse intelligitur ex charta apud *Strubenum de Ministerialium dignatione* p. 52. *Illustres viri, Comes Hermannus de Affeburg et frater eius Comes Henricus, et apud Gudenum in Codice diplomatico* *T. II.* p. 292.

e) *Veluti apud Gudenum* in *l. c. T. I.* p. 186.

f) in *l. c.* p. 18. et 256. *Ausführlicher Beweis, dass die Grafen zu denen mittleren Zeiten unter die Principes gerechnet worden.*



manavit, vti existimat *Mafconius* <sup>g</sup>), sed Comites sub Friderico I. etiam Principes et habitos fuisse et vero etiam nominatos, nec id Ottonis IV. ac Friderici II. Impp. aevo prorsus ab usu recessisse, fide Diplomatum efficit *Geislerus* <sup>h</sup>). Quid igitur mirum, Comites iisdem aulae ornamentis ac reliquos Principes vfos fuisse, et Ministeriales ad subeunda munera Palatina aluisse, id quod non solum copia chartarum apud *Gudemum* <sup>i</sup>), *Scheidium* <sup>k</sup>) et *Koppium* <sup>l</sup>), vbi Ministerialium Comitum frequens mentio deprehenditur, effici potest, sed quoque causa Comitum studiis *Hornii* <sup>m</sup>), *Estoris* <sup>n</sup>), *Buderi* <sup>o</sup>), *Reinhardi* <sup>p</sup>) et imprimis *Scheidii* <sup>q</sup>) aduersus dubitatiunculas dissentientium vindicata, et tot exemplis ex rerum gestarum monumentis probata fuit, vt, si de pluribus conquirendis laborassem, vae magnopere verendum fuisset, ne tempus operamque perderem. Desinant igitur mirari homines Ludewigiani, quid sit, quare in litteris, quibus dignitas Principis collata fuit, nulla ab imperatore simul concessi iuris officia aulica constituendi etiam illis temporibus, quibus Principes et Comites in duos peculiare ordines secesserunt, mentio facta fuerit <sup>r</sup>), cum

ante-

g) in princip. Iur. Publ. p. 273.

h) in diss. priori de Conti. Com. Holf. etc. (Lipsf. 1769.) C. 3. §. 3.

i) in l. c. T. II. p. 28. T. III. p. 1037. et 65.

k) in Mantissa document. Eiusd. Comment. de Nobilitate adiecta n. XCI (a) XCH (b) XCIII (a et b)

l) in den Proben des Deutschen Lehnrechts P. II. p. 314 sequ.

m) in der Handbibliothec von Sachsen p. 56.

n) in kleinen Schriften P. I. p. 204.

o) in diatriba sup. citat. p. 35 seq.

p) in Juristisch- und Historischen kleinen Ausführungen P. I. p. 85.

q) in Anmerkungen und Zusätzen zu Mosers Braunschweig-Lüneburgischen Staats-Recht p. 236.

r) vid. *Scheidius* in l. c. p. 237. Huius rei quidem mentionem in eiusmodi litteris iniici subinde, ipse ego negare non ausim in tanta exemplorum copia, cuius illustre nobis suppeditat Ludouicus IV. qui in litteris, quibus Reinoldo, Comiti Geldriae dignitatem ducalem conferebat:

bat:

antequam ad illam dignitatem aduecti erant, id sibi competere. Sed hoc, vti reliqua Comitum iura, habuit sua fata. Ex quo enim Comitum potestate deminuta peculiaris ordo Comitum et Principum extiterat, etsi Comites ab hoc iure diserte exclusi non sunt, tamen recentiori aetate plerisque antiquorum Comitum ad Principis dignitatem euectis, plurimi ex reliquis in tam exiguis terris et mutato aulae statu ipsi illo iure plerumque abstinuere.

## §. XI.

Quoniam vidimus de iis, qui ex Iure aulae habendae, officia Palatina constituere poterant, ad eos transeamus, quibus ea aulae Ministeria delegabantur, quibus *Ministeriales, Officiales, Officiati* germ. *Dienstherren*, <sup>s)</sup> *Dienst-Manne, Dienst-Leuthe, Beamte* inde dicebantur. Omnium primo Officiales Germaniae superiores, qui Ministeria regni, <sup>t)</sup> quae vulgo *Arch-Officia* appellantur, in aula Imperatoris praestabant, diligenter secernendi sunt ab Officialibus Germaniae inferioribus, qui se officiis in aulis Ducum, Episcoporum, Principum, Abbatum, Comitum et Dynastarum praestandis addicebant. <sup>u)</sup> Illi enim ex ordine nobilium superiorum, hi autem ex inferiore

no-

bat: *Insuper*, inquit, *ad maiorem dicti ducatus et Principatus splendorem assignamus ipsi iuxta morem imperii quatuor officarios infra nominandos et eorum heredes etc. vti est apud Leibnitium in Codice Iuris Gentium diplomat. p. 151.* Sed haec sententiam eorum, qui Ius Ministeriales aulae habendi inter iura Principibus propria referunt, nihil iurare possunt, cum Imperatores, vt magnae liberalitatis speciem prae se ferrent, haud raro Comitibus, principali dignitate ornatis, iura certa quaedam, quasi antea non usurpata, de nouo concederent.

- s) *Dienstherren* eosdem designasse ac Ministeriales videmus ex chartis ap. *Ludwigium in Reliqu. Msp. T. IV. p. 53, 54, 61, 75 et 87.*  
 t) cf. *Io. Iac. Masconii diss. de Orig. Officiorum aulicorum S. R. I.*  
 u) *vid. Io. Ge. Cramerii comment. de Iuribus et Praerogatiuis nobilitatis auitas p. 68. sub (1).*

nobilitate <sup>v</sup>) eligebantur. Quorum quidem conditio etsi olim in tanta opinionum inter viros eruditos varietate et diuersitate vaga et incerta fluctuabat, tamen plerique nimis cupide in illa definienda versari esse videntur, dum Ministeriales, pro ut studia auctorum ferebant, modo cum *Ioach. Ge. de Ploenies* <sup>x</sup>) et *Ge. Estore* <sup>y</sup>) ad infimam hominum propriorum et seruorum classem detruserunt, anomolam quandam seruitutem somniantes, modo cum *Ad. Frid. Glassey* <sup>z</sup>) aliisque ad nobilitatis superioris adeo gradum euexerunt. Ne igitur eorum conditionem aut nimis deprimere, aut nimis extollere videamur, Ministerialium notio recte definienda videtur. Ministerialis enim sensu latiori dicitur, qui alicui ad quoduis officium seu Ministerium obligatus est, quo sensu non solum opifices olim in villis regiis, veluti fabri, ferrarii, aurifices, argentarii, pistores etc. licet ex ordine hominum propriorum ad classem Ministerialium referri solebant, vti rem multis exemplis illustrat *Scheidius*, <sup>a</sup>) sed Vasalli quoque haud raro, obseruante *Estore*, <sup>b</sup>) ita dicebantur. Sensu autem strictiori sub mi-

v) Ex superiore quoque nobilitate homines apud Principes ministeriis in aula honorificis functos esse, multis exemplis probauit *Scheidius* in *historischen und diplomatischen Nachrichten von den hohen und niedern Adel in Teutschland* §. III. sub (k) Medio aevo pro superstitione, vt tum erant tempora ipsi adeo Principes Episcopis, Ecclesiis, Monasteriis se ad officia aulica ipsis praestanda obnoxios reddebant; vti vel ipsa patriae nostrae historia exempla episcopatum Bambergensis et Wurzburgensis suppeditat. cf. *Carl. Guiliel. L. B. de Gaertner* in *diss. de S. R. I. Electorum imprimis Saxoniae, Feudis et Officiis Bambergensibus*. (Lips. 1726.) et inserta *Ienich, Thesauro I. F. T. III. p. 481 seqq.* Plura exempla habet *Io. Ge. Estor* in *Comment. de Ministerialibus* p. 441 seqq. et *Treuer*, in libro sup. laud.

x) in *Tract. de Ministerialibus* (Marb. 1710. rec. 1740)

y) in l. c. idemque in *seinen kleinen Schriften* T. III, p. 555 seqq.

z) in *Comment. de vera quondam Ministerialium indole* (Francof. 1724.)

a) in l. c. p. 157 sub (o)

b) in *Obsern. Iur. Feud. Obsern. 16, et 18.*

nisteriali intelligitur is, qui se officiis honorificis in aula praestandis Principi obligauit. Quo sensu et nos hic vitmur. Hos autem ex ordine nobilium cooptatos fuisse post *Cramerum* <sup>c)</sup> *Dau. Ge. Strubeni* <sup>d)</sup> ita docuit, ut quae aliis secus sint statuta, sua sponte corruant. Iam etsi conditionem Ministerialium ad certam quandam et vniuersam regulam reduci posse, neget *Scheidius*, <sup>e)</sup> cum ea sub diuersis dominis diuersa <sup>f)</sup> et prout ingenium et mores ipsorum ferebant, modo laxior, modo adstrictior fuerit; tamen quicquid conditionis Ministerialium fuit, in eo conspirasse mihi videtur, quod illi se ad negotia honorifica praestanda obligarint.

Ministerialibus pro his officiis in se susceptis antiquissimo tempore stipendii instar plerumque bona *Iure Curiae* concedebantur. Ex quo enim Ius hereditarium vi constitutionis Conradinae in beneficiis militaribus inualuerat, concessionesque bonorum tum Vasallis feudalibus, tum Ministerialibus factae diuerso plane iure regi coeperant, veteres *Ius Curiae* s. officii a *Iure Feudi* h. e. beneficia Ministerialium a Feudis, vti ipsos Ministeriales a Vasallis, diligentissime distinxerunt. Hanc nostram sententiam confirmant innumera medii aevi monumenta, e quibus iam pauca tantum excitare lubet: *Quicquid homo*, inquit Auctor *Vetus de Beneficiis*, <sup>g)</sup> *non suscipit per ho-*  
mi-

c) in l. c.

d) de Ministerialium dignatione in *Eiusd. Obseru. Iur. et Histor. germ.* p. 48 — 86. Idemque von *Adelichen Dienstleuten: in boris subsec. T. III. p. 345 — 335.*

e) in *Tractat. de nobilitate* cit. p. 117.

f) Huc spectare videtur locus *Veteris Auctoris de Beneficiis* §. 121. ap. *Thomafium* in *Select. Feud.* p. 139. vbi ordinem, inquit auctor, iuris istius Curialis propter diuersitatem eius non describam, sub quolibet enim Episcopo et Abbate et Abbatisa Ministeriales ius habent singulare.

g) c. 128. ex ed. *Thomaf.*

*minium*,<sup>h)</sup> non iudicetur esse Beneficium (h. e. Feudum;) sicut cum bona concedit Dominus suis Ministerialibus, non per *hominium*, sed secundum Ius Curiae. Haec concessio officialis, quibus etiam Ministerialis natione erit ex iustitia Dapifer, aut Secretarius, (seu vt Thomasius recte legit, Butellarius, i. e. Pincerna) aut Camerarius, aut Marschallus. Cum hoc Veteri Auctore compilatores Iuris Feudalis Saxonici et Alemannici mirum in modum conspirant. Ille enim, *Switich gut*, inquit,<sup>i)</sup> *dem manne ane sine Mannschafft*<sup>k)</sup> *geligen wird, daz en heizet nich ein*

D 2

recht

h) Haec vox tantum ad seruitia militaria adeoque ad bona iure feudi concessa pertinet. Vocula *Homo* multiplicis quidem est significatus; dum quasuis personas dominis suis fidei, obsequii et seruitii nexu obligatas, quemadmodum, quod ab illa voce profluxit *Hominium* s. *Homogium* denorat iuramentum, quo quis se obligat ad fidem. cf. *Ill. Ern. Mart. Chladenius in diff. de Homagio reali* (Vit. 1762.) §. IV. Hinc loquendi formulae: *ad hominem suscipere*, *homo Imperatoris* etc. id quod vel cognoscas ex Carmine ob actum Coronationis Lothar, II. famoso (*Radic. l. I. c. X.*)

*Rex venit ante fores iurans prius urbis honores,*

*Post HOMO fit Papae, sumit quo daute Cororam.*

Attamen hoc nomine imprimis Vassalli in chartis ap. *Gudenum in l. c. T. II. p. 60. et in ipso adeo Iuris Longobardici Codice II. F. 37. 99.* appellantur, et *Homagium* designat obligationem seruitia militaria praestandi e iure iurando susceptam, quem significarum egregie illustrant diplomata ap. *Matthaeum de Nobilitate l. IV. C. 22. p. 106.* *Honthheimium in Histor. Trevir. T. I. p. 820. T. II. p. 87 et 97. et Gudenum in l. c. T. II. p. 936. et in Eiusd. Sylloge Diplom. p. 109.* Quare bona homagialia saepius bonis ministerialibus opponuntur.

i) *Cap. 63. edit. Schilt.*

k) Haec vox accurate respondet Homagio. Nomine *Mann* saepius dici Vassallum seruitiis militaribus adstrictum chartae probant ap. *Schannatum in Client. Fuldens. n. 417.* *Auch anse getrewe MAN sy und wir — unsern Herrn von Falde verbunden sin sollen mit truwen als ein MANN sine Herrn: ap. Schilt. in Comment. ad I. F. A. ed. Scherzti p. 358. zu rechten MANLEHEN emphaen — — Und mit truwe sin als MANNE ibren Herrn hillich dunt etc.* Quemadmodum igitur, annotantibus id eodem Schilt. in l. c. p. 273. et 310. et *Ge. Ad. Koppio de insigni diff. comitum et nobil. immed. p. 416.* *VERMANNEN* nihil aliud est, quam seruitia militaria praestare, sic quae exinde profluxit vox *MANN-SCHAFFT*

*recht lehn. also daz gut, daz der herre sine dienstmanne lihet one manschafft zu hoverechte etc. Iam iouat audire auctorem Iuris Alemannici<sup>kk</sup>): Welich gut dem Man one manschafft gelichen wurt, das heisst nit recht lehen als do ein Herre sine dienstman güliche zu Hoferechte und derabe sol er Hoferechtes pflegen, und Lehnrech<sup>l</sup>). Plura adhuc monumenta, vbi haec duo diuersa iura eadem diligentia distingui videntur, in medium producere nihil attinet, cum vel ex iis, quae attulimus, quod efficere volumus, luculenter appareat.*

§. XI.

Iam ne diuersorum vocabulorum imaginibus ludere videamur, age, quale discrimen, quosue fines ipsa natura inter haec duo diuersa instituta constituerit, inquiramus: idque eo magis, quum ex iis naturam Beneficiorum, Iure Curiae concessorum, optime intelligi et perspici posse putemus. Principio aliam Feudorum et aliam Beneficiorum, Iure Officii dandorum, rationem deprehendimus. Illa enim sub lege Specialis Fidelitatis conceduntur, ita, vt hanc praestandi obligatio ipfi

*SCHAFFT* denotat fidem in seruitiis militaribus praestandis, id quod multis diplomaribus constat ap. *Schilterum in l. c. p. 232. 272. et 320. Christoph. Buttkenium dans ses Trophées tant sacrés que profanes du Duché de Brabant p. 104. Houden van ons in loen ende IN MANSAPPEN. Alb. Ge. Schwarzium in s. Pommerischen Lehnhistorie p. 322. vbi charta de an. 1232. recenset pfeodalia bomagia, quae MANSCHAP dicuntur, Quare Saxonici Iuris interpres male explicat haec verba: ein gut, darzu keine Manne noch unterthanen geboren. cf. Schilter in l. c. p. 288.*

*kk) c. 113.*

1) Haec verba in mendo cubare videntur, cum locis Ver. Auct. Iuri Saxon. et sibi ipsa aduersentur. Ast si locum Iur. Alem. cum sua auctoritate contenderis, locum facile restitues. Iuris enim feudalis Alem. vt et Saxonici auctores pleraque ex Auct. Vereri decerpisse iam a *Frid. Carl. Buri ad Schilt. p. 172.* aliisque obseruatum fuit. Quare alii, notante id *Schiltero ad l. c.* rectius substituerunt: *and nit Lehnrechts.* Adde *Ius Prou. Alem. L. II. c. 8. §. 2. c. 15. §. 12.* quod horum emendationem maximopere confirmat.

ipfi fundo inhaereat. Haec autem Stipendii instar propter officia Ministerialibus ita dantur, vt ratio Fidelitatis, cui adstricti sunt, non in Beneficii concessione, si qua facta est, sed in officio suscepto sit quaerenda. Quare ibi *realis*; hic autem, quemadmodum in priicis Beneficiis, quorum naturam nostra Beneficia retinere, *personalis* Fidelitas locum habet. Quod quidem non solum multis exemplis Ministerialium natorum natarumue <sup>m</sup>) sine Beneficio, sed etiam luculentissime patet exinde, quod Ministeriali non, vt contra Vasallo, quem se vel inuito Domino, dummodo in tempore et bona fide fiat, obligatione feudali abdicare posse constat <sup>n</sup>), se a nexu Ministerialitatis, qui feudali paulo adstrictior est, inuito Domino liberare liceat, quemadmodum post *Schilterum* <sup>o</sup>) et *Scheidium* <sup>p</sup>) erudite monuit *Ill. Hommelius* <sup>q</sup>). Denique nostrae sententiae magnum pondus addere putem Ministerialium alienationes et permutationes, nomine *Concambii* insignes, quas medio aevo saepenumero factas esse multis exemplis docuerunt *Estor* <sup>r</sup>) et *Riccus* <sup>s</sup>). His enim non nisi quod Domino in Ministeriales competierat, Ius in novos Dominos transibat, nulla Beneficiorum facta mentione, vt egregie effecit *Boehmerus* <sup>t</sup>). Quod ne huius tanti Viri auctoritate seductus statuere videar, lubet ex innumeris chartis vel paucas tantum

D 3

appo-

m) vid. *Boehmer* in l. c. *Obs. V. de Foemina Ministeriali.*

n) II. F. 38 *Ius feud. Alem. c. V. Ar. Bull. c. XIV. adde Baderum* in *diff. de Resignatione domini*

o) in *Comment ad Ius feud. Alem. c. 89. p. 630. Est itaque, inquit, Ministerialis magis obligatus, quam Vasallus, qui tantum ratione Feudi re- futabilis obligatur: ille autem magis quoad libertatem et statum personae, unde condicio Ministerialium opponitur statui libertatis.*

p) in l. c. p. 104. n. (1)

q) in l. c. p. 123.

r) in l. c. p. 187 seqq.

s) in l. c. p. 120 seqq.

t) in l. saepius laudato p. 114. seqq.

apponere. In charta, quae permutationem Ministerialium ab Ottone IV. Imp. cum Sigfrido episcopo Hildensemensi a. CIDCCXVIII. factam continet, apud Scheidium<sup>v)</sup> haec leguntur: *Notum facimus vniuersis tam praesentibus, quam futuris, quod nos uxorem Siffridi de Borsen - - cum omnibus filiis suis et filiabus, et uxorem Conradi marschalci - - cum filio, quem modo habet, concessimus, et dedimus in commutationem Sifrido Hildensemensi episcopo et ecclesiae eiusdem loci pro Eggeberto, Gundelini Imperialis aulae dapiferi primogenito: proximus autem filius, quem praeterea uxor Conradi Marschalci deo dante est habitura, nostro perpetualiter pertinebit dominio.* Cum Dux Albertus Brunswicensis a. CIDCCLVII. Abbatissae Quedlinburgensi Gertrudae duos Ministeriales titulo permutati traderet: *Publice, inquit*<sup>x)</sup>, *protestamur, quod nos Fridericum ministerialem nostrum filium Hermannii militis de Dalem de consensu fratrum - - vobis et ecclesiae damus, et recipimus ex causa commutationis pro ipso in consortium Ministerialium nostrorum Olricum Ministerialem vestrum filium Ludolph militis de Bortfelde, ut ipsi nobis ministeriales - - caeteri sunt adstricti.* Plura documenta, cui legere volupe est, adeat Hundium<sup>y)</sup>, Heidersum<sup>z)</sup>, Becmannum<sup>a)</sup>, Kettnerum<sup>b)</sup>, Ludewigium<sup>c)</sup>, aliosque veterum chartarum collectores. Ministeriales igitur etsi haud raro Beneficiis ornati erant; tamen haec, facta permutatione, donatione etc. non vna cum Ministerialibus in nouum Dominum transibant, nisi accedente ideo conuentione, id quod innumera documenta probant, quae

v) in Origg. Guelf. T. III. n. 228. p. 828.

x) Kettner. Antiquit. Quedlinb. p. 338.

y) in Bayerischen Stammbuch P. I. p. 272.

z) Lindauische Ausföhrung p. 503.

a) in Histor. Anhaltin. P. III. p. 177. 536.

b) in l. c. p. 333. 357.

c) in Reliqu. MSs. T. N. p. 248.



quae difertam Ministerialium vna cum Beneficiis suis alienatorum iniiciunt mentionem. Comes quidem Erpo de Padberg in charta de an. CIOCVII. <sup>d)</sup> Ministeriales, inquit, meos cum beneficiis et possessionibus seruos omnes mihi bene in hoc consentientes - - virgini Mariae contradidi. Et charta de an. CIOCVII. apud Ludewigium <sup>e)</sup> haec habet: ad haec quod quosdam de suis Ministerialibus cum omni Beneficio, quod possederunt, dominus Tidricus eidem ecclesiae contulit, quos et nunc Ministerialium iure Beneficia sua quiete possidere statuimus, iniungentes eis, ut debitum honorem et debitam reuerentiam domino suo Abbati et ecclesiae suae exhibeant. Quemadmodum igitur Ministeriales vel cum Beneficiis, vel sine iis cessos aliis fuisse vidimus, sic quoque praedia et Beneficia exceptis Ministerialibus in alios translata fuisse, innumeris constat exemplis, quorum illustre habet Ludolfus <sup>f)</sup>: qualiter domina Gisela, comitis Friderici de Saarbrucken vidua, vna cum filio suo Simone omne patrimonium, quod habuerunt in villa, sua degosingen, exceptis solis Ministerialibus - Beato Petro - contradidit. Quae omnia si cum cessione Vasallorum, quae non nisi cum feudo fieri potest, contuleris, vel ex hoc diuersa obligationis Ministerialium et Vasallorum ratio luculentissime patet. Recte igitur Freherus <sup>g)</sup> iudicasse videtur, dum qui Feuda, inquit, a Principibus non habent, sed affidati, clientes, Stipendiati, ministeriales, Palatini eorum sunt et - - quotidie ad seruendum parati esse debent. Diuersi ergo Ministeriales a Vasallis re et nominibus, quibus in antiquis instrumentis separantur.

## §. XII.

d) in Monum. Paderb. p. 147.

e) in l. c. T. I. p. 5. Plura, quae huc pertinent documenta habet Riccius in l. c. p. 65. et 130.

f) in Sympb. Consult. et Decis. for. p. 143.

g) in notis ad Const. Conradi II. p. 257. ed. Gebauer.

Sed aliae, quae sententiam nostram egregie confirmare videntur, adfunt rationes, petitae ex diuersa indole et natura fidelitatis Ministerialis et Vasalliticae. Vtraque quidem, vti et subditorum fidelitas, si primam illius vim spectemus, in eo cernitur, vt sit, quemadmodum eam *Boehmerus* <sup>h)</sup> recte descripsit, *complexus officiorum determinantum erga alterum, maxime illorum, quae in eo non laedendo et in laesionibus aliorum ab eo auertendis consistunt.* Quare non solum Vasallos, sed etiam Ministeriales et subditos apud veteres nomine *Fidelium* saepe numero venire constat. Verumenimvero leges et varia ciuitatum instituta suam cuique et propriam quasi naturam indidere, adeo, vt facile inter se discerni possint. De fidelitate subditorum deque illius a rebus similibus differentiis hic agere neque vacat, neque lubet, imprimis cum in hac re definienda iam satis diligenter versati sint *Io. Hen. Bergerus* <sup>i)</sup>, *Henr. Hildebrandus* <sup>k)</sup> et *V. Cel. Ge. Steph. Wiefandus* <sup>l)</sup>. Nos igitur instituti nostri memores tantum fines Fidelitatis Vasalliticae et Ministerialis regamus. Iam primum Vasalli Fidelitatis praestandae vinculis ob Feudum concessum: Ministeriales contra suscepti officii, non autem beneficii nonnunquam ipsis dati ratione obstrunguntur, adeoque illorum est realis, horum vero est personalis Fidelitas quemadmodam §. antecedenti vidimus. Deinde ex moribus antiquis ad naturam Fidelitatis Vasalliticae pertinet obligatio feruitorum in militia tam equestri, (*Heersarth*) tam castrensi (*Burghute*) praestandorum, adeo vt sine illis Feudum non habeatur verum, vt ex locis supra <sup>m)</sup> citatis patet, quibus iam

h) in *Principiis Iuris feud.* §. 7.

i) in *diff. de nexu Iurium. quo Fidelitas et subiectio continetur.* (Vit. 1700.)

k) in *diff. de Vasallagio subiectionem non inferente* (Vit. 1721.)

l) in *diff. de origine et natura Fidelitatis Vasalliticae* (Lips. 1764.) p. 7. seq.

m) §. 7.

iam addere lubet locum Iuris Feudalis Saxonici <sup>n)</sup>: *Der man sal iechlicher gutes mit Manschafft sinen*, et Iur. Feud. Alsm. <sup>o)</sup> *Aber recht Lehen mus man mit Manschafft entphoen*. Ab hac autem maximopere differebat Fidelitas Ministerialis (*Dienstpflicht*), cui non officiorum militarium, sed extra militiam in aula praestandorum, quae nomine *der Hof-sarth, der Ehrenfaellen, der Ehrenzugen* <sup>p)</sup> veniunt, obligatio inerat, uti clare perspicitur ex Iure Feudali Alemannico <sup>q)</sup>: *So der (Herr) Hoff oder Hochgezeit* <sup>r)</sup> *hat, so sullent die vier Ambachtman ir ambacht verdyeemen nach dem rechten als yedes Hoffes gewonheit ist*. Sic Archi-

n) c. 54. ap. Sebilt. in l. c. p. 109.

e) c. 113. § 5. ap. Sebilt. in l. c. p. 55.

p) Eri Vasallos, alias seruitiis tantum militaribus praestandis adstrictos, nonnunquam et domi seruitiis honorificis aulam Domini directi ornasse eleganter probavit Io. Ge. Cramerus in *comment. de Iure Principis Germ. seruitia aulica a Vasallis exigendi* §. 4. seqq. tamen haec probe distinguenda esse recte monuit Chr. Gottl. Buderus de *Seruitiis Vasallorum zu Ehrenzugen und Ehrenfaellen in Ei. amoenitatibus Iur. feud. p. 153. seq.* Ut enim eiusmodi officia a Vasallis non nisi vi specialis pacti et postea nexu ministeriali propemodum sublato, de quo postea, frequentius praestita fuisse nihil dicam, officia honorifica ad naturam fidelitatis ministerialis, non autem Vasalliticae pertinebant.

q) c. 113. §. 3. ap. Sebilt. in l. c. p. 55.

r) Haec vox h. l. non eo sensu, quo hodie vulgo denotat festum nuptiale, capienda est; sed omnem festiuitatem significat, id quod non solum ex vicinia verborum, sed etiam ex notatione vocum patet. *Hoch* veteribus praeter alios significatus idem erat ac excellens, virtute eximius, festiuis etc. uti multis documentis effecit *Wachternus in Glosfar. cit. p. 736*. Inde vox composita *Hochzeit* nihil aliud est, quam tempus festiuium, quo sensu non solum apud *Osfridum l. III. c. 22. 3. de Encomiis Iudaeorum*

*Tbio selbun hobo ziti*

*Firoten thie luti.*

Sed quoque in Iure Prou. Alem. c. 353. 3. occurrit: *ain ieglich ueirtag, den man mit dem bann gebiuter, der hat dazselbe rebt als der Sunnentag und drie HOHZIT, Wibentab, Ostern und Pfingsten*. Qua re ut ad locum nostrum redeam, recte is in versione latina versus videtur: *quod tunc dominus curiam aut festiuitatem celebrat etc.*

E

Archiofficiales palatii in Coronatione Ottonis I. auctore *Vithindo*<sup>s)</sup>, *Eberhardus mensae praeerat; Hermannus Francus Pincernis; Arnulphus equestri ordini et eligendis locandisque castris praeerat.* Eadem ab Archiofficialibus ministeria praestita fuisse, cum Otto III. Quedlinburgi solennem Curiam ageret, narrat *Dithmarus*<sup>t)</sup>. Ast ne negligamus, quae sententiam nostram videantur premere, haud pauca exempla occurrunt Ministerialium, quibus Feudum concessum fuit. Sic charta de an. CIOCCXXXVII. apud *Aubert. Mirazum*<sup>v)</sup> recenset *Ministeriales Feudatarios* et in alia apud eundem<sup>x)</sup> occurrunt *Ministeriales in Curia Feodati sc. Dapiferi, Pincernae, Pistores, Camerarii, Portitores, Coqui.* Eiusdem rei exemplum occurrit apud *Butkensum*<sup>y)</sup>: *Et insuper quicquid iuris in terra praedicta habere debemus (exceptis Ministeribus nostris et Feodo Ministerialium et hominum nostrorum.)* Plura huius rei documenta suppeditant *Leibnitius*<sup>z)</sup> et *Ludewigius*<sup>a)</sup>. Quae etsi ita sunt, tamen rem saluam esse existimamus. Lubet rem difficillimam *Boehmeri* potius, quam meis verbis exprimere: *Si quae, inquit*<sup>b)</sup>, *illorum (sc. militarium officiorum) a Ministerialibus praestita leguntur, non tam ex nexu ministeriali, quam potius vel ex nexu Vasallagii, quo iidem saepius simul obstricti erant, vel ex nexu subiectionis praestita sunt, quo omnes ad militiam pro patriae defensione vocantur.* Quam suam sententiam egregie confirmavit charta de an. CIOCCXXXIII. apud *Scheidium*<sup>c)</sup>, qua *Burchardus*

s) I. II. *annal.* p. 643.

t) *lib. IV* p. 349.

v) in *Donat. Belg.* c. 95. p. 413.

x) in *Notitia Eccles. Belg.* c. 219, p. 647.

y) in *libr. supra cit.* p. 49.

z) in *Script. Rer. Brunsvic. T. II.* §. 304.

a) in *l. c. T. II.* p. 297.

b) in *obs. cit. IV.* §. 4.

c) in *l. c. p. 104. sub (1)*

chardus Comes Oldenburgensis se Ministeriali suo, Conrado de Hemmehufen curiam iure feudi concessisse declarat. En ipsius verba: *Nouerint uniuersi, quod Conradus de Hemmehufen, Ministerialis noster, curiam unam in eadem villa Hemmehufen sitam non loco ministerialis, sed ratione homagii a patre nostro et nobis iure tenuit feudali.* Et Wurmbrandius <sup>d)</sup> habet chartam de an. ciocccxxvi. vbi haec: *dilecto fideli Ministeriali nostro reditus in feudum contulit.* Nec alia defunt exempla, beneficia antea Iure Curiae concessa, indulgentia dominorum in Feuda conuersa Ministerialibus cessisse. Quorum illustre exemplum suppeditat transactio <sup>e)</sup> inter Henricum Ducem Saxoniae et Comitem Palatinum Rheni cum Episcopo Bremensi an. ciocccxviii. inita, vbi haec: *Ministeriales ipsius Palatini, iussu eius iurauerunt et fidelitatem fecerunt ecclesiae Bremensi, et bona, quae habentur a Palatino tenuerunt iure ministerialitatis, in iure feudali ab eo receperunt.*

### §. XIII.

Beneficia Iure Curiae data ex catalogo Feudorum eximenda et ad negotia Feudo vicina referenda esse, quamquam nos iis, quae iam disputauimus, satis, nisi opinionis, quam fouemus egregie nos fallit amor, effecisse puremus; tamen vnum adhuc non praeteriisse iuuabit, cum quicquid dubitationis forte superfuerit, quod dissentientes morari posset, plane euanescere putem. Ad naturam feudorum, cum non officii rationem habeant, sed sub lege Fidelitatis, quae in militia agenda cernitur, dentur, pertinere et hoc, vt ad ea Successores Vassallorum ipsa lege vocentur vel inter dupondios Iuris Ciuilibis constat. Et licet Feuda subinde ad dies vitae et ad breuius tempus concessa sint, cuius rei exempla suppeditant *Gude-*

E 2

mll

d) in *Collect. Geneal. Histor.* p. 226.

e) apud *Carol. Lud. Tollnerum in Cod. Prob. Hist. Palat. N. 70. p. 67.*

nus <sup>f)</sup>) et Schannatus <sup>g)</sup>); tamen haec in eo recedunt a communi Feudorum ratione, adeoque ad Feuda impropria referuntur. Iam vero Beneficia Ministerialium in Stipendium pro officiis extra militiam praestandis concessa Beneficii rationem sequebantur, nec in posteros ex auctoritate legum nisi ex gratia Domini transibant, id quod fide multorum documentorum constat. Non poenitebit integram chartam Wissenburgicam ex Schiltero <sup>h)</sup>) apposuisse: *Edelinus Dei gratia Wissenburgensis Abbas praesentes litteras inspecturis salutem in Domino. Dignum credimus nec ab ullo penitus reprobandum, quod nos illos, qui ad nostrum nutum omni deuotionis studio disponuntur, specialis beneficentiae gratiam pro suis meritis rependamus. Cum igitur Iohannes de Methi id apud nos meruerit et ampliora valeat promereri, quod nos de bonae voluntatis nostrae gratia concedimus, quod idem uxorem suam, Vitam nomine, dotare valeat cum bonis, quae idem Iohannes a nobis et nostra tenet Ecclesia nomine officii Marschalci, concedimus, quod praedicta Vita bona in Huchelheim et Ingelheime sita, quae praefatus Iohannes nomine dicti officii a nobis tenet, dotis nomine possideat et in heredes ipsius transferat iure praelibati officii non obstante, sed ad obtinendum ipsa bona, nostra sibi gratia suffragante. In cuius rei testimonium praesens Scriptura sigillo saepe dicti Iohannis est roborata. Datum an. Domini c̄iōcc̄l̄x̄. quarto.* Deinde id quoque patet studiis Ministerialium, dum haud raro similitudine, quae inter Feuda et Beneficia intercedit, abusi et Ius Beneficium calumniati, accedente impotentia dominorum, omni studio id contenderunt, ut quae in Feudis locum habeat, successione hereditariam etiam in Beneficiis Iure

f) in l. c. T. II. p. 1180, 1284.

g) in Clientel. Fuldensi Cod. Prob. n. 330. p. 303. n. 364—367. p. 321. adde Baderi obseru. de Feudo ad pauciores annos et dies vitae concessio. in Eiusd. auoueniat. cit. p. 38.

h) Hanc editio Schilterus in l. c. ad cap. 113. §. 3.

Iure Curialium concessis introducerent, id quod conquerendi Dominis saepiuscule occasionem praebuit. Cuius rei illustre exemplum suppeditat Abbas Stabulensis Ecclesiae Wibaldus, qui cum impia studia Ministerialium suorum Ius hereditarium Feudi sibi arrogantium aegre ferens, eorum licentiam ipse reprimere non posset, an. c106xxxx. Conradi III. Imp. auxilium imploravit. Labet ipsius Imperatoris verba <sup>i)</sup> audire: *Conradus III. Romanorum Rex, notum facimus omnibus, qualiter Abbas Stabulensis Ecclesiae Wibaldus nostram praesentiam adiit, conquerens, hoc sibi plurimum nocere, quod Ministeriales sui curtium suorum ministeria i. e. iudicarias potestates et villicationes per feudum et hereditario iure vellet obtinere: unde fiebat, ut ordinatio Abbatis et Praepositorum inefficax esset et coloni Ecclesiae ad inopiam redigerentur. Communi itaque principum nostrorum et generalis Curiae nostrae, quae Leodii celebrabatur, consilio obtentu etiam eiusdem Abbatis Wibaldi, iudicari fecimus, quod nullus iudex, qui vulgo Scultetus dicitur, nullus Villicus, qui vulgariter Maior vocatur, ministerium diutius habere et retinere valeat, nisi quamdiu cum gratia Abbatis deservire queat, sed quotiescunque iussus fuerit reddere, sine contradictione reddat, nec filius post obitum patris per hereditatem repetat. Ministeriales Villarum S. Bertini cum praeter alia idem quoque conati essent, impia eorum studia lege, a c106xxxvii lata <sup>k)</sup>, repressit Theodoricus, Comes Flandriae, qua constituit, ut nullus eorum (ministerialium) vel per hereditariam successionem, vel in Feudum habeat suum Ministerium, nec alio modo quam Abbati vel Ecclesiae dare placuerit. Clarius res perspicitur ex querelis, quas licentia Ministerialium, ius Feudi sibi in bonis iure Ministerialitatis concessis*

E 3

fis

<sup>i)</sup> in Magn. Chron. Belg. ap. Pistorium T. I. p. 102. nec non in Aub. Miraei Not. Eccles. Belgic. c. 79. p. 688.

<sup>k)</sup> vid. du Fresne in Gloss. supr. cit. sub voce Ministerium.

fis vindicantium Abbati Fuldensi Marquardo an. CIOCL. extor-  
 sit, dum ita: *Erat, inquit, 1) e regione altera et multa intolerabi-  
 lior miseria. Principes diuersarum regionum sumebant sibi de ad-  
 iacentibus ecclesiae bonis, quantum sibi bonum videbatur, et habe-  
 bant sibi quasi pro beneficio, nullo eis prohibente vel contradicente --  
 totius abbatis utilitas in laicorum manu posita fuit; et si quis eis  
 contradicere vellet abbatum, ac iudiciali lege placitum faciens iusti-  
 tiam ab eis exquirere coepisset, ingeniosa, et callida argumenta-  
 tione iuris sui, Lehnrecht nominant, anguis more de manibus  
 elapsi per antractus sermonum sine suo discrimine effugiebant. m)*  
 Ne igitur Ministerialibus vllus calumniandi locus esset relictus,  
 haud raro Domini in Beneficiis Iure Curiae concedendis hanc  
 cautionem adhibebant, vt hanc concessionem non Iure Feudi,  
 sed Iure officii fieri diserte monerent, vti factum legimus in  
 constitutione ab Alberto Archiepiscopo de Vicedominatu an.  
CIOCCXIII. facta, cuius verba, vti est apud Boehmerum, n) sunt  
 haec: *Contulerat ante hac Archiepiscopus Friderico illustri Comiti  
 in Bremen vicedominatum Curiae suae in officium non in feudum, ar-  
 tatus scilicet sui qualitate: quem cum Comes resignasset Alberto Ar-  
 chiepiscopo et status iste nondum cessaret, eandem dignitatem nobili  
 viro, Alberto de Arnstein, similiter nomine officii, non in feudo hac  
 conditione contulit, vt quam primum illud officium vacet, illud nun-  
 quam persone laice iterum conferatur.* Plura documenta adde-  
 rem, nisi Beneficia Ministerialium post ipsorum mortem ad  
 Dominum rediisse, nec ad posteros nisi noua accedente colla-  
 tione,

1) vid. Chriff. Brouweri Antiquit. Fuldens. lib. III. c. 18. p. 266.

m) Hunc locum Boehmerus in Obs. de successione olim negata in bonis Iure  
 Curiae datis seu in Beneficiis Ministerialium in Eiusd. Obseru. cit. p. 184.  
 seqq. contra ac Ludewigius, Schannatus, Gundlingus et Estor de iure,  
 quod sibi sumebant beneficiorum possessores, vti est, ita recte ex-  
 plicat.

n) in l. c. p. 122.



tionem, vel vi conuentionis, uti huius rei exemplum occurrit, apud *Schannatum*, o) transiisse, vel ex his satis patere putem.

§. XIV.

Haec differentiae, in quibus demonstrandis et explicandis hucusque versati sumus, inter Beneficia Ministerialium et Feudalia diligenter seruatae sunt, usque dum illa, successione hereditaria ibi introducta, formam Feudorum quemadmodum olim Beneficia militaria, induerunt. In quod autem tempus haec mutatio inciderit, difficilis est coniectura. *Estor* p) quidem Ecclesiae Corbeiensis, cuius Ministerialibus, testantibus annalibus Corbeiensibus, q) ius hereditarium concessisse videtur Henricus III. Imp. exemplo inductus, haec munera iam sub eiusdem auspiciis ex imperii totius decreto ac sententia, ut *Estoris* r) verbis utar, facta fuisse hereditaria, si non ante hoc tempus, ut sit probabile, id iam usu venerit, non dubitauit definire. Quam male autem et sine omni rerum gestarum fide coniecerit, non solum exinde perspicimus, quod Beneficia cum Feudis ipsis, uti se ipse in sequentibus s) prodit, turpiter confuderit, sed etiam quod constitutionis Henricianae fines iusto latius aperuerit, eamque ad omnia Beneficia aulica traxerit. Equidem hanc mutationem neque semel, neque vno eodemque tempore vbique, sed sensim paulatimque putem factam esse, ita, ut hic, quemadmodum in aliis rebus, quae per temporum velut spiramenta et gradus obscure expressos in aliam plane formam abiire, in huius rei initio definiendo certi quid pronuntiare difficile sit. Haud raro ipsi Domini Ministerialibus, quibus aut bene cuperent, aut qui de

Do-

o) in *Collect. s. Vindem. litterar. p. 1.*

p) in *comment. cit. p. 467.*

q) ap. *Leibnitium in Script. Rer. Brunsvic. T. II. p. 304.*

r) in *l. c.*

s) in *l. c. p. 468. n. \*\*.*

Dominis bene meriti fuissent, aliisque de causis successionei hereditariam tribuebant. Cuius rei exempla iam res sec. XIII. gestae suppeditant. Berchtoldum enim Episcopum Bambergensem Ludouico Duci Bavariae, Comiti Palatino Rheno Dapiferatum ecclesiae suae iure hereditario concessisse videmus ex charta apud *Gewoldum*, <sup>†</sup> vbi *Eidem et heredibus suis*, inquit Berchtoldus, *officium Dapiferatus ecclesiae nostrae, quod ad nos libere est deuolutum, cum omnibus honoribus, dignitatibus et iuribus, prout inlytae recordationis Fridericus Rom. Imperator, ab ecclesia nostra tempore quondam Domini Ekeberti Bambergensis Episcopi, praedecessoris nostri tenuit, cum omnibus Feudis, ipsi officio annexis, feudali titulo duximus conferendum.* Et Rudolphus I. Imp. diplomati de an. CIOCCCLXXVIII. quo Ortolphum Monasterii Buerensis Abbatem pro more illius seculi iure quatuor officiales in aula sua habendi condecorauit, tandem haec adiecit: *Si quem etiam officiatorum migrare contigerit ab hac luce, decedentis primogenitus tantum debet in officii et Feudorum ad idem spectantium possessione quieta et pacifica remanere, ne in plures heredes ipsum officium diuidatur.* Nec historia patria caret eiusmodi exemplis, quorum illustre nobis occurrit illud officii Marschallatus, quod Magno de Rehfeld a Friderico Marchione Misniae, quem a Woldemaro, Marchione Brandenburgico captum liberauerat Magnus, (cui haec liberatio nomen *Loeser* dederat,) delatum fuisse, et ab eo inde tempore iure hereditario familiae Loeserianae semper adhaesisse refert Vir rerum patriarum peritissimus *Io. Gottl. Hornius*. <sup>‡</sup> Deinde inter causas Iuris hereditarii in Beneficiis Ministerialium introducti non solum pacta, ideo vt officia et bona iis annexa, tanquam Feuda con-

† de septemviratu c. 10.

‡ in seinem Abriss von den edlen Erb-Beamten der Chur- und Fürstlichen Sächsischen Lande in Eiusd. Handbibliothec von Sachsen p. 315 seqq.

concederentur, inita, sed etiam improbi conatus Ministerialium referendi sunt, dum hi Dominos haud raro quouis modo eo adigerent, ut illorum pertaesi ipsis Iure Feudi Beneficia darent, quemadmodum exemplis supra allatis constat. Denique quum officia, quibus parentes defuncti erant, plerumque ex benignitate Domini relinquerentur liberis, hi illorum indulgentia et haud raro incuria nonnunquam ita abusi sunt, ut Beneficiorum concessio, per longum tempus ex gratia Domini aliquoties in vna eademque familia repetita, naturam necessitatis, ut fit, videretur induere, adeoque haec Beneficia iure quasi suo in posteros transferrent. His fere causis, quibus et mutatum aularum Principum imperii statum \*) addas, effectum est, ut discrimine Vasallorum et Ministerialium seculo XV. fere sublato, nexus ministerialis in desuetudinem abiret, et quae olim Iure Curiae deferebantur ministeria aulae, Iure Feudi iam concederentur et adhuc in nonnullis Germaniae prouinciis, licet in plerisque ad minorem numerum restricta sint, eodem iure conceduntur.

§. XV.

Iam quae incrementa iuri Clientelari ex hac Beneficiorum ministerialium in Feuda conuersione accefferint, paucis videamus. Omnium primo Vasalli iam non, ut olim fidelitati personali, sed vi officii ad ipsum heredesque delati, adeoque reali obstricti seruirebant. Deinde quae olim non nisi seruitiis militaribus praestandis absoluebatur fidelitas, iam ad alia quae praeter officia militaria, fuit extensa. Inde originem ducunt innumera Feuda, quorum ratione officia extra militiam praestantur vel ex lege veluti seruitia honoraria aulica, iudicialia vel ex conuentione (inde conuentionalia *bedingte Lehne*) quo pertinent, quae Germanis *Ambachte* et Longobardicis

Ga-

\*) cf. Viri Ill. Io. Henr. Christ. de Seibow in Element. Iur. Germ. §. 238.

Gastaldiae \*) Feuda appellantur, et in quibus eminent Feuda Palatina (*Hoflehne*). Nec silentio praetereunda videntur seruitia ludicra \*\*) Vassallorum, quae cum maxime ex hoc nexu ministeriali orta sunt. Quae quidem omnia cum in eo recedant a communi Feudorum ratione et non, vti ea fert, seruitia militaria, sed nonmilitaria praestentur, recte ab Interpretibus Iuris Feudalis inter feuda impropria referuntur, a) licet in caeteris communem Feudorum naturam seruent, cum exceptiones a regula communi strictissime et ita interpretandae sint, vt quam minime ab hac recedant. b) Quare vt exemplo vtar et ab his licet impropriis foeminae arcentur, vti egregie rem illustrat confirmatio priuilegiorum a Carolo IV. Imp. an. CIOCCCLX XVII. Margarethae Abbatissae Quedlinburgensi facta. c) De Feudis autem officialium hereditariorum, Procerum et Prouinciarum regni Germanici non est, quod vberius exponamus, cum de illis exster elegans *Buderi* commentatio.

y) Non igitur audiendus Io *Gottl. Gonnus*, qui in *diss. de Feudo Gastaldiae* (*Halae 1736. et Ienich. Thes. T. II. p. 465. insert.*) Feudum Ambachtiae, (Gastaldiae) nulla temporis ratione habita, ex numero feudorum expungere voluit. Quare a *Chr. Gottl. Budero* in *Obseru. de Feudis Ambachtiae, Ampachtslehne in Eiusd. Anoenic. Iur. Feud. p. 58* sequi recte fuit notatus, feudumque Ambachtiae inter feuda licet male inter propria vindicatum fuit, nec quicquam *Gonnio* suam sententiam contra argumenta *Buderiana* in *seinen Gedanken von Ambachts-Lehne* (in *denen Erlaugisshen Gelehrten Anzeigen vom Jahr 1744. N. XIII. et in Ienich. Thes. cit. p. 401.*) propugnante. Vt enim nihil dicam, haud raro Vassallis hac lege et conditione fundos fuisse delatos, vt munera extra militiam obtinent, nexu ministerialium fere sublato, eorum Beneficia iure feudi censabantur.

z) cf. *Inman. Weberi* *diss. de inuestituris et seruitiis feudalibus ludicris* (*Giosiae 1724.*) et *Pistorii Anoenic. Historie. iurid. T. I. p. 103.*

a) cf. *Schilberus* in *l. c. ad Cap. 111. 112. et 113.*

b) vid. *Excellentissimi atque Illustrissimi Christ. Gottbels. S. R. I. L. B. a Giusfeldid* in *comment. de Feudis omnibus iure propriorum omni ex parte censendis, nisi mutatio rationis feudorum communis demonstretur.* (*Lips. 1756*) §. 3.

c) apud *Frid. Ernest. Kettnerum* in *Antiqu. Quedlinburgens.* p. 363.

## COROLLARIA.

### I.

*Homines forenses fines l. g. C de reuoc. donat. quae soli patrono ius donationem ob superuentiam liberorum reuocandi concedit, iusto latius aperiunt.*

### II.

*Nepotes aucto non iure repraesentationis, vti plurimi opinantur, sed iure proprio succedunt.*

### III.

*Feminae in codicillis tum Romano tum Germanico iure testes esse nequeunt.*

### IV.

*Frequens criticorum senatus fuit ad II. F. 26. §. 23 et II. F. 48, quae leges ab interpretibus iuris feudalis inter damnatas referri solent. Equidem etsi horum et imprimis Godofr. Lud. Kraufii (in diss. de feudo alienabili occasione II. F. 26. §. vlt. iuncta II. F. 48. Erlang. 1770.)  
stu-*

*studium in his locis, quae secum pugnare videntur, ope critices conciliandis non improbem; tamen cur medicinam paremus, ubi omnia sana sunt; Quodsi enim hae duae feudi alienabilis formae, quarum altera est, quod vi pacti in inuestitura initi sine speciali domini consensu in extraneum sed salua feudi essentia alienari licet: altera autem, quod vi pacti uti allodium in quemcunque sed nexu feudali euanescente alienari licet, animo eorum, qui illas leges inter se contendere velint, obuersentur, non esse videtur, quod ad sacram emendationis ancoram confugiamus.*

V.


*Heredes allodiales, in debitis feudalibus ab illorum antecessore solutis a successore feudali repetendis, etsi rationes a versione in rem et negotiorum gestione desumptae nihil iuuare possunt; tamen ideo eos audiendos putem, quia nemo cum alterius damno locupletior fieri debet.*




VD 18

ULB Halle 3  
002 689 030









Farbkarte #13

B.I.G.

2

F. 2. num. 5.  
1774, 27.

DE  
BENEFICIIS IVRE CVRIAE  
CONCESSIS EORVMQVE  
A FEVDIS DISCRIMINE

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
QVAM  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII  
P R O  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
IMPETRANDIS

P. 328

A. D. III. FEBRVAR. A. C. N. CIOCCCLXXIII

DEFENDET  
IOANNES ADAMVS THEOPHILVS  
K I N D I V S  
ART. MAG. ET ADVOC. IMMATR.

LIPSIÆ  
EX OFFICINÆ LANGENHÆMIA